MSS. CODICES

HEBRAICI

BIBLIOTH. I. B. DE-ROSSI

LING. ORIENT. PROF.

ACCURATE AB EODEM DESCRIPTI
ET ILLUSTRATI.

ACCEDIT

APPENDIX

QUA CONTINENTUR

MSS. CODICES RELIQUI

AL. LINGUARUM.

VOL. I.

PARMAE

EX PUBLICO TYPOGRAPHEO

1803.

ERUDITIS BIBLIOPHILIS

IOH. BERN. DE-ROSSI.

Ex lucubratiunculis quas hucusque edidi, diu doctis innotuit privata haec mea mss. codicum supellex ejusque praestantia, potissimum vero ex Variis Lectionibus V. T., longe lateque dispersis ac pervulgatis, in quibus magno ii agmine prolati sunt, insignisque ac perpetuus factus eorum usus. Diu etiam ea enituit ex summis laudibus, quibus docti ipsi celebriores Europae eam cumularunt, testantes non modo » praestantissimam esse, pretiosissimam, mirificam, sed mss. hebraicorum copia aliam nullam neque publicam, neque privatam cum ea contendere, apparatum sistere biblicum ac criticum, qualem nulla antea aetas usquam vidit,

infinitis congestum laboribus ac sumptibus, qui privati vires longissime superabant, eam unicam esse in suo genere et omnium instar quam sacrae criticae cultores petant undique ac consulant, dignam quae cura ac liberalitate alicujus principis integra demandetur posteris ». Haec sunt perhonorifica testimonia quae de illa tulerunt publice extra Italiam et in Italia viri in hoc litteraturae genere doctissimi ac celeberrimi, inter quos eminent Michaelis Goettingensis linguarum orientalium professor in Bibliotheca orientali, Adlerus episcopus Slesvicensis in Romano Itinere biblico-critico, Brunsius professor Helmstadiensis in notis ad generalem Kennicotti Dissertationem et in Annalibus ejus urbis, Oberlinus Argentoratensis in Ephemeridibus litterariis anni 1783, Fabricius gallus Casanatensis bibliothecae theologus in Diatriba Specimini meo pontificii codicis Pii VI subjuncta, Andres hispanus tum in Epistolis familiaribus hispanice vulgatis, tum in Origine ac progressu omnis litteraturae, Buronzus del Signore archiepiscopus Taurinensis in Oratione funebri Caroli III, Thomas Valperga de Calusio in Rudimento coptico, quibus alii plurimi accesse-

runt cujusvis nationis. Quo factum est ut non modo exteri multi doctrina ac dignitate spectatissimi ad eam videndam confluerent eamque suspicerent, sed et extiterint reapse principes non pauci qui eam summopere exoptarent. Atque illi quidem in primis de sacris solis codicibus, quos tamquam uberrimos divinae revelationis ac sacrae criticae fontes respiciebant, loquebantur, atque eo insuper tempore quo mea haec collectio ad eam amplitudinem ac perfectionem non pervenerat, qua modo pervenit. Etenim insigniter aucti sunt deinceps codices mss. sive sacri, sive aliarum scientiarum, ut patet ex Scholiis meis criticis in V. T. libros seu Supplementis ad varias sacri textus lectiones anno 1798 editis et ex Dictionario historico judaicorum auctorum eorumque operum quod prodiit anno proxime elapso. Codices hebraici, quo nomine comprehenduntur etiam chaldaici ac rabbinici, sunt nunc mille tercenti et amplius, biblici solius textus fere septingenti, doctiorum ac celebriorum scriptorum, ut Aben Ezrae, Gersonidis, Jarchii, Kimchii, Maimonidis aliorumque, copia immanis et incredibilis, ut fidem facit alphabeticus singulorum index

ad calcem subjectus, in quo codices omnes et unaquaequae opera iis comprehensa ad suos auctores revocantur. Quod et de rarioribus ipsis codicibus dicendum est, quorum vel nullus, vel unicus tantum extat in ditioribus ipsis publicis bibliothecis, ut sunt codices celebris Immanuelis. In eorum numero mille circiter membranacei, multi inediti, multa, immo vero infinita inedita opera iis contenta, multi ignoti, antiqui, rarissimi, singulares, unici, autographi. Hebraicis accedunt codices reliqui aliarum linguarum, syriaci, arabici, persici, graeci, latini, italici, hispanici etc., qui etsi non sint magno numero, sunt tamen inter eos classici quamplures ac non pauci eximii ac pretiosi. Ac singula haec sive ab exteris dicta non suspectis, quos malui de rebus meis testes adsciscere, sive a me historice relata, perbrevis haec, quam edendam aggredior, eorumdem codicum recensio amplissime, ut opinor, confirmabit. Ea singulorum auctores, titulos, materiam, characterem, formam, aetatem exhibet, ac praeterea scholia modo breviora, modo longiora, in quibus argumenta, epigraphes, singularia, identidem etiam excerpta proferuntur, non pauca et insignia de-

teguntur bibliographorum errata, ac Wolfii praesertim Bibliotheca, quae est reliquis omnibus plenior ac perfectior, perpetuo suppletur et emendatur. Porro quum mss. codicum praestantia ex praestantia variarum lectionum potissimum dimetiatur et ex critico eorum usu, ad plerosque codices sacri textus loca apposui, in quibus in servandis egregiis et optimis lectionibus vel unici ii sunt in edita collatione, vel fere unici, vel rariores. Lectores loca ipsa, si lubet, consulere poterunt et evolvere. Hinc numeros, quos codices singuli in ea collatione ac primo catalogo obtinent, religiose retinui. Quod et de aliis nonnullis adhuc intactis factum est, quos nuper accepi, de reliquis rarius ac parcius, ne longius opus protraheretur, quos tamen non dubito hoc idem beneficium allaturos, si diligenter excutiantur.

HABEANT QUI VOLUNT VETERES LIBROS VEL IN MEMBRANIS PURPUREIS AURO ARGENTOQUE DESCRIPTOS, VEL UNCIALIBUS, UT VULGO AJUNT, LITTERIS ONERA MAGIS EXARATA QUAM CODICES, DUMMODO MIHI PERMITTANT PAUPERES HABERE SCHEDULAS ET NON TAM PULCHROS CODICES QUAM EMENDATOS.

Hieron. Prologo in Job.

MSS. CODICES
HEBRAICI
BIBLIOTH. I. B. DE-ROSSI
ACCURATE DESCRIPTI
ET
ILLUSTRATI.

Cod. I

Biblia cum *Aphtaròth* seu *propheticis Sectionibus*, membranaceus charactere hebraeo quadrato german. cum punctis et accentibus in fol. 2 voll. ac 2 col. sec. XIII.

Incipit Exod. VI 10. Initiales litterae minores pro more codicum hispanicorum, sed libri amplo inter se spatio distinguuntur. In Prophetis supra et infra adjecta est masora magna, in Pentateucho, atque Agiographis nulla praeter kerì, quod in Pent. etiam est rarissimum. Singularis ac plane novus est ordo sacrorum librorum. Post Pent. enim sequuntur v Meghilloth, seu sacra Volumina Ruth, Canticorum, Ecclesiastis, Threnorum, et Esther, Agiographa, seu Paralipomena, Psalmi, Proverbia ec., postremo Prophetae. In edita *variarum Lectionum* collectione unicus est Josuae X 10, XV 1, Jud. XX 35, II Paral. XXXII 25, unusque e perpaucis codicibus Isaiae LXIII 11 et Jobi XVI 21, XXIII 7. De vario ordine quo in mss. codicibus distribui solent sacri libri variisque nominibus quibus ab hebraeis indigitantur, vide *Prolegomena* nostra historico-critica p. XXVI et XXVII, de masora vero, quae iis saepe additur, *Bibliothecam judaicorum auctorum* a nobis nuperrime editam T. II p. 40.

Cod. 2

Biblia cum *Masora*, membranac. charactere quadrato germ. in 4. 3 col. sec. xiiI.

Usu et aetate detritus, nonnullisque capitibuspost I folium quod et ab altera manu est, in Genesi mutilus. Initialia verba librorum ac sectionum majora, Jeremias primus posteriorum prophetarum, deinde Ezechiel, Isaias, singularis in Agiographis ordo, Psalmi, Prov., v Volumina, Daniel, Esdras, Nehemias, Job, Paral. Libri poetici alternis lineis distribuuntur, extat masora utraque, parva et magna, sed insignis copia variarum lectionum demonstrat textum sistere plane amasorethicum. Inter eas pretiosae multae. In descriptione *variis* meis *Lectionibus* praefixa nonnulla Genesis ac Levitici loca adnotata sunt, in quibus est unicus. Iis adde Num. xxiv 24, Josue x 32, iI Reg. xiiI 20, Isai. xxxiiI 2, xxxix 8, lix 8, Cant. I 3, Esth. iI 11, Psal. xcv 6, Job xix 29, Neh. xiI 46, I Par. iiI 8. Fere unicus est Gen. xxx 42, Deut. xxxiiI 16, Isai. ix 6, Ezech. xix 10, Oseae viI 12, Sophon. I 17, Habac. I 12, Prov. xxI 3. Habet rarissimas lectiones Jos. xix 35, Isai. xliiI 2, Jerem. viiI 14, et xxxiiI 16, Ezech. xvI 6, xxviiI 23, Mich. viI 19, Zach. xI 13, Psal. xxiI 24, xlix 13, I Paralip. I 30, xxiv 6, iI Par. xxxiiI 18, in vocalibus Isai. xxiI 14, xxix 9. Ad calcem legitur antiqui possessoris nota mensis martii an. 234, Ch. 1474.

Cod. 3

Biblia cum *Masora*, membran. german. 2 col. in 4.° min. 3 voll. an. 1304.

Librorum ac sectionum tituli exarati sunt majoribus litteris, auroque, et vario colore eleganter ornati, libri poetici alternis lineis divisi, Paralipomena in fronte Agiographorum juxta ordinem codicum hisp. Adest masora utraque, et in fine postremi vol. sequens nota calligraphi: » Absolvi opus rite et juxta constitutionem, et ut dignus fui illud absolvere, sic valeam implere. Scripturam porro exaravit Moses librarius. Ego Moses filius r. Chaiim descripsi hunc librum pro praeceptore meo r. Joab fil. r. Biniamin in urbe Romae, absolvique illum mense jiar an. 5064 a creatione mundi ». Non desunt rarae in textu lectiones, ut Prov. xxviiI 1, Esdr. viiI 16, iI Paral. xxvI 23, nec inemendatus est codex, sed occurrunt interdum versus vel verba omissa, potissimum similiter desinentia,

et ad marginem suppleta, quae produnt describentis oscitantiam. Est in Kennicottiana collatione cod. 574.

Cod. 4.

Biblia, membr. hisp. in 8.° 2 col. sec. xv.

Nitidissimus ac pulcherrimus codex, qui habet majora initialia verba librorum, servatque in Agiographis ordinem talmudicum, praeeunte tamen Cantico Ecclesiastem, et Esther Danielem. Fusus Psalmus cxix metrice est divisus, unicus est Isai. xxI 13, fereque unicus Isaiae xvI 11, xxI 14, xxxix 7 et LxiiI 11, unus vero ex perpaucis Dan. iv 32, I Paral. iv 15, et iI Paral. xxiI 10. Initio haec leguntur: » Possessio pecuniae meae, ego minimus Menachem fil. Mescullam fel. mem. de Derthona, qui in mei usum describendum illum curavi, quum Pisis degerem, anno 256, » Chr. 1496.

Cod. 5

Pentateuchus cum *Targum* seu *chaldaica Paraphrasi* Onkelosi, ac duobus *Commentariis*, r. Salomonis Isaacidis vel Jarchì, vulgo Rascì, et r. Abrahami Aben Ezrae, membr. in fol. max. an. 1322.

In medio sistitur sacer textus charactere hispanico luculentissimo, in laterali columna interiori Targum eodem charactere minoris formae cum punctis, ad exteriorem marginem Commentarii litteris semirabbinicis. Ad calcem: » Absolutus est hic Pentateuchus cum Targum ejusque punctis et Commentariis opera Sabtaei fil. r. Jehudae fil. r. Biniamin Kanaròthu feria v hebdomadae die 11 mensis scebàt an. mundi 5082, qui est 1254 a destructione sanctuarii quod cito aedificetur in diebus nostris. Amen ». Est Kennicottianus 554 primum Mantuae collatus, ubi olim servabatur. Masora nulla, kerì rarum. In Commentariis saepe conspiciuntur variae lectiones et emendationes, quae criticum eorum usum ostendunt. Saepe solent judaei sacro textui sive Targum, sive illustriores eorum interpretes adjungere, Jarchii potissimum, qui tantam apud eos celebritatem obtinuit, ut κατ' ἐξοχὴν legis interpres appelletur. Hinc celeberrimi hujus interpretis non quidam, ut ait Wolfius t. I p. 1066, sed infiniti propemodum extant sive in publicis, sive in privatis bibliothecis mss. codices. Quos nos possidemus, exhibentes Scripturarum Commentaria, sunt sexagintasex, solius *Pentateuchi* quadragintaquatuor.

Jam vero si in iis recensendis efferendoque auctoris nomine, plerumque Jarchii vocabulo et appellatione utor, non id facio quod veriorem eam habeam, aut firmiorem altera Isaacidis vel Rascii, qua communiter utuntur hebraei, sed ut obsequar christianorum consuetudini. Non fero tamen quae contra notat Wolfius T. I p. 1057 minus recte dici Jarchium, judaeis nomen hoc esse ignotum, nullum in antiquitate judaica vel re ulla habere fundamentum, usu magis quam certa ratione a plerisque christianis usurpari, secutus in re hac Simonium, Acoluthum, Crenium, Loescherum, Lacrozium. In III autem vol. p. 1042 iterum repetit nomen istud christianis, non judaeis esse receptum. In quo fallitur apertissime. Etenim R. David Azulai in II parte *Scem aghedolìm* fol. 76 testatur se vidisse vetustum codicem, in quo Rascius Jarchii nomine appellabatur. ראיתי בס׳ קדמון שמכנה לר"שי רבינו שלמה ירחי *Vidi in vetusto codice cognominatum Rascì R. Salomonem Jarchì*. Subditque sub hoc eodem nomine eum afferri in *Compendio Samàg*, seu Libri magni praeceptorum fol. 38, sibique videri auctorem nostrum vel ejus patrem oriundum fuisse ex Lunel, ac propterea illum Jarchium vocari. Auctor *Seder adoròth* fol. 52 auctorem nostrum vocat et ipse sub eo nomine, *rabbènu Salomon Jarchì filius Isaaci*. Quod et alios facturos non dubito ex judaeorum scriptoribus, si penitius excutiantur ac facere praesertim R. Menassè ben Israel, et quidem pluries, nuperrime observavi in *Bibliotheca judaicorum auctorum*. Quandoquidem autem Rascius etsi Trecis natus, Lunatis tamen diu docuit, quod et auctores multi tradunt, quare ab ejus domicilio, institutione ac praefectura Jarchius appellari non potuit? Ad confirmandam Jarchii denominationem non producimus titulum libri *Lescòn limudìm*, qui eam aperte praesefert in cod. nostro 800, nam is alterius est auctoris, ut ad eundem codicem demonstramus, non Jarchii nostri, ut perperam a Balmesio ac Wolfio creditur. Probat tamen cognomen istud esse apud judaeos usitatum. Quod et ex auctore altero constat libri *Manhìgh*, R. Abraham bar Nathan Jarchì. Haec de Rascio. Aben Ezra palmam ei apud christianos praeripit, ejusque codices sunt quoque Jarchianis rariores. Qui ejus commentaria in sacros libros exhibent, sunt apud nos vigintiquatuor, ac

solius quidem Pentateuchi quatuordecim, saepe inter se multumque diversi. De utroque auctore ac singulis eorum operibus plura nos commentati sumus in commemorata *Bibliotheca judaicorum auctorum* paucis abhinc mensibus italice edita, vol. I p. 7 ac 161, de Targum vero, seu variis chaldaicae Paraphrasis generibus volum. II pag. 144.

Cod. 6

Pentateuchus cum *Targum*, *Comentario* r. Salomonis Jarchì et *Aphtaròth* seu *propheticis Sectionibus*, membran. ital. in fol. an. 1449.

In medio stat textus, ad latus exterius chaldaica paraphrasis, punctis et ipsa instructa, in interiori margine Jarchii Commentarius. Initialia verba majora, masora nulla, kerì rarum. Ad calcem: » Perfectus et absolutus, laus sit creatori mundi, mei manu ego Isaias fil. r. Jacob Masseran punctis instruxi et accentibus Pentateuchum hunc, Targum, Aphtaròth, et v Meghillòth in gratiam excellentis viri, intelligentis ac docti r. Menachem filii r. Isaaci fel. mem. de Revere . . . fuitque finis ejus die XXII sivan an. 209 sexti millenarii ab orbe condito hic Mantuae. » Unicus est in servanda Samaritani textus lectione Num. XXIV 20, fereque unicus Levit. XI 45 et Isai. LXVI 20.

Cod. 7

Pentateuchus cum *Targum*, *Masora* magna ac parva, et *Comentario* r. Salomonis Jarchì, et r. Mosis Nachmanidis. Accedunt *V Meghillòth*, seu *Volumina Cantici canticorum*, *Ruth*, *Threnorum*, *Ecclesiastis*, *Esther*, et *Aphtaròth*, seu *Sectiones prophetarum* cum *Targum*, *Masora* et *Commentario* Jarchì, membr. german. in fol. an. 1475.

Elegantissimus et accuratissimus codex. Sacer textus medium occupat locum, Targum quadratis et ipsum litteris germanicis, sed minoribus, et cum punctis, interiorem columnam, Commentarius marginem exteriorem. Librorum exordia majusculis litteris et ornatu distinguuntur, ac praeter masoram saepe ad marginem aliorum codicum discrepantiae exhibentur, tum sacri textus, tum chaldaicae paraphrasis. In fine Pentateuchi hoc sui testimonium calligraphus posteris reliquit: » Ego Nathanael fil. r. Levi Hierosolymitani fel. m., ut voluntati obsecundarem ac desiderio nobilis r. Simson fil. Chaiim Ajena, scripsi ei Commentarium R ascì circum

Pentateuchum hunc et Aphtàras, et v Volumina, ac praeterea Nachmanidis expositionem Pentateuchi. Puncta etiam sacro textui adjeci, et targumico, et accentus, et masoram magnam ac parvam, ab initio ad calcem omnia facta sunt manu mea auxilio opitulantis Altissimi, cujus nomen exaltetur. Cecidit porro operis complementum in diem hanc 11 mensis tebeth an. 5236, » idest in fin. decembris an. nostri 1475. Idem Nathanaelis nomen et antea sub librorum finem, et postea occurrit multoties, et post Estheris quidem Additamenta, seu Mardochaei Somnium, quod chaldaice exhibet, a me olim non observatum, familiae cognomen addit Trabot, vel Tarabot, ex Trabottorum videlicet familia, quae erat adhucque est Mantuae. Vide *Specimen pontificii codicis* a me editum p. 16, 17. Sed ex eadem epigraphe patet sacrum et targumicum contextum, in quo potissimum sita est codicis elegantia, alterius peritioris calligraphi manu ante fuisse conscriptum. Patet et ex solo nomine הנקדן *punctatoris*, quod sibi attribuit posteriori loco, ubi et flaviori atramento subjiciuntur Variae lectiones orientalium et occidentalium in v Meghillòth.

Cod. 8

Pentateuchus cum *Targum* versibus alternis et duobus *Commentariis*, r. Salomonis Jarchì, et r. Abrahami Sebae. Accedunt sub initium *Scholia* r. Jacob Ascer, ad calcem anonymi *Institutiones linguae hebraicae*, et r. Mosis Maimonidis *Constitutiones dehòth*, seu *de scientiis*, chart. laevig. rabbin. in fol. 2 voll. in. sec. xvi.

In medio sistitur textus cum chaldaica Onkelosi paraphrasi alternis versibus, uterque sine punctis, hinc inde commentarii. Omnia charactere rabbinico orientali, unde in oriente procul dubio exaratus est codex. Praecedunt in I vol. Scholia in Pentateuchum r. Jacobi Ascer, quae ad calcem vocantur sub titulo *Chidduscìn*, seu novarum observationum, factaque collatione valde discrepant ab editione CPolitana anni 1514, hujus libri primaria, quam rebus nostris adnumeramus. Inelegans ornatus varii coloris sub initium occurrit, ad calçem vero Pentateuchi sat fusum poema, in quo dicitur conscriptus a Juda fil. Abbae Scemajà et absolutus 5 mensium spatio anno 5074 ab orbe condito, Chr. 1314. Quod quum non patiatur r. Abrahami Sebae aetas, qui

solo sec. XV inclinante floruit, ut tradunt Ganzius, Bartoloccius ac Wolfius, hinc ab amanuensi omissa censenda sunt centenaria, seu anni ducenti, qui si suppleantur, annum dant 5274, Chr. 1514. Maimonidis Constitutiones decerptae sunt ex ejus Jad chazakà, celeberrimo Talmudis compendio, de quo plura diximus in *Bibliotheca auctorum jud.* T. II p. 25.

COD. 9

PENTATEUCHUS cum *V Meghillòth*, et *Targum*, membran. germ. in fol. sec. XIII.

Incipit Gen. XXVII 43. Laterali columna et exteriori extat Targum, et quidem cum punctis, ut textus, sed minori charactere. Masora fere nulla, vel rarissima, habentur tamen interdum in margine notae et scholia ad sacram criticam spectantia, ac litterae praeterea coronulis ornatae vel detortae ad publica describenda volumina. Quae sequuntur Meghillòth, habent et ipsae chaldaicam paraphrasim, sed vocalibus destitutam. Rariorem codicis lectionem in *Scholiis* nostris protulimus ad Gen. XLIX 28.

COD. 10

PENTATEUCHUS cum *Targum* et *V Meghillòth*, membr. german. in 4.° in, sec. XII.

Valde vetustus codex, qui incipit Gen. XIX 35. Character usu ac vetustate detritus, nulla masora, nullum kerì, initiales litterae majores, solo excepto Exodi initio. Singulares quasdam et unicas ejus lectiones innuimus in Clavi codicum *Variis Lectionibus* praefixa. Adde Num. XV 36. Fere unicus est Num. XXVI 57, et Eccle. IX 14, rarus Gen. XXXVI 2 et Num. XXVI 36. Onkelosi textus, qui laterali columna modo cum punctis, plerumque sine iis repraesentatur, variis lectionibus et ipse abundat, interdum gravioris momenti. Subjicitur in fine Aphtarà וילך, seu Isaiae Sectio LV 6 ad LVI 9.

COD. 11

PENTATEUCHUS cum *Targum*, *V Meghillòth*, *Aphtaroth, Job, Proverbiis, Masora* et *Commentario* Jarchì, in *Jobum* vero cum *Comm.* anonymi, membr. in 4.° min. 2 voll. sec. XIII.

Quadratus germanicus est character hebraici chaldaicique textus, cum punctis uterque, sed hic minoris formae, ac laterali columna. Posteriori hoc charactere constat masora quae supra et infra conspicitur, rabbinico Commentarius, qui externum occupat marginem. Sub fi-

nem Pentateuchi extat scribae nomen Levì, scilicet Chelpàn, ut infra plenius legitur, cui aliud subjicitur Matathiae filii R. Nathanaelis, posteriori vero manu infra adjecta est nota antiqui judaei, cujus nomen abrasum est, testantis audivisse se a R. Meir fil. Senior, quod hic Pentateuchus scriptus fuerit in domo socrus ejus a R. Chalnàka ex exemplari R. Isaaci de Cartzoira. Sequuntur Commentaria Cantic. et Eccles. quae seorsim dantur ad calcem I vol. In fine Esther bis calligraphi nomen exprimitur Levi Chelpàn, postrema autem pagina illud R. Meir fil. Senior testimonium repetitur. Raras codicis lectiones habes Esth. IX 22, et Prov. III 20, plures habet textus Onkelosi. Comm. in Job., instituta collatione, non est R. Sal. Jarchì, sed anonymi auctoris et ut videtur, ineditus.

Cod. 12

Pentateuchus cum *Targùm* alternis versibus, *Masora*, et Comm. Jarchì, item Maimonidis *Tikkùn sopherìm*, seu *Constitutionibus scribarum*, membr. in 4.° min. 2 voll. an. 1311.

Sacer textus cum targumico, qui illi singulis versibus subjicitur, charactere constat quadrato germanico, rabbinico Commentarius lateralis. Unicus est in *Scholiis* nostris *criticis* Deuter. XXXIII 21. In targumico crebrae extant discrepantiae et correctiones, saepe etiam ad marginem producitur auctoritas et dissensio Maimonidei exemplaris sacri textus. Post Pentat. haec legitur nota: » Targum hoc cum punctis suis descriptum est ex codice, qui allatus est e regione Babylonis, et puncta superne habebat regionis Assyriacae. Mutavit autem illa R. Nathan fil. R. Machir, fil. R. Menachem de Ancona fil. R. Samuelis fil. R. Machir ex urbe אוירי Oyri fil. R. Salomonis, ejus qui succidit cornu derisorum in Romania nomine Dei benedicti, fil. R. Anthus fil. R. Tzadok punctatoris, correxitque illum et disposuit ad punctationem Tiberiensem ». Paullo infra: » Benedictus qui dat lasso virtutem, et cui vires deficiunt, robur addit. Finitus est et absolutus, sit laus Deo seculi, quoad punctationem et masoram ad usum R. Aaron fil. R. Levi. Complevi porro illum feria VI parascà metzavìm an. 5071 O. C.... Confortetur et roboretur Jom Tov ». In superiori margine: » Ego Jom Tov fil. R. Isaaci disposui vel libravi hunc Pentat., Meghillòth, Aphtaròth et Jobum ». Se-

quitur index majuscularum et minuscularum in sacro textu occurrentium, ac Tikkùn sopherìm.

COD. 13

PENTATEUCHUS et PROPHETAE PRIORES, seu *Josue, Judices*, *Libri Samuelis ac Regum*, membr. semirabbin. in 4.° sec. XIV.

Praecedit pars indicis Psalmorum, in quo numerantur tantum 148, diciturque absolutus per manus Sal. fil. Eliae de tribu Biniamini. Sub finem Pentat. habetur nomen amanuensis Mescullam, qui testatur se illum descripsisse in urbe סיצי Setzi a die IX mensis tebeth ad diem XXX scebbàt. Explicit II Reg. XXIV 11.

COD. 14

PENTATEUCHUS cum *V Meghilloth*, *Aphtaròth* nonnullis, *Masora*, et *Comm.* Jarchi, membr. in 4.° sec. XIV.

Germanicus character sacri textus, sed elegans, rabbinicus et incomptus commentarii. Deerat primum folium mea manu suppletum. Praeter masoram utramque criticae interdum notae et exegeticae occurrunt, et sub fin. Pent. calligraphi nomen Matathiae. In ordine sacrorum Voluminum, primo, quod singularissimum est, ponitur Esther, deinde Cant., Ruth, Eccle., Threni. Unicus in *Scholiis criticis* Deut. XXXII 49.

COD. 15

PENTATEUCHUS, membr. semirabb. in 4.° min. sec. XIV.

In prioribus versibus Geneseos veteri atramento quod prorsus evanuerat, novum superinductum est, initiales majores, masora nulla, nulla scribae, obscuri sane et indiligentis, nota, expliciens verbis *Ad gloriam tuam, Domine*. Folio postremo extat nota antiqui possessoris nati sibi filii an. 246, Chr. 1486. Unicus in *Scholiis criticis* Num. XXVI 4, perrarus Deut. XXXI 7.

COD. 16

PENTATEUCHUS cum *Targum*, *V Meghillòth* et *Aphtaròth* membr. rabbin. in 4.° min. sec. XIII.

Incipit Gen. XV 2. Librorum tituli, seu priora verba majora et aurea, vel argentea, modo nigrescentia, in fundo quadrato varii coloris conclusa. Ornatus alius varii coloris elegantior distinguit initium cujuslibet meghillae, in quarum ordine illud iterum singulare, quod primo ponitur Estheris liber, deinde Cant., Ruth, Threni, Eccle. Rubro atramento exarata sunt initialia verba sectionum legis, et

litterae propheticarum, et integrae octo lineae libri Estheris. Exterius latus occupat Targum, interius masora parva. In fine Targum extat nomen librarii Meir, in fine vero totius codicis chaldaicae nonnullae Aphtarae, quarum postrema non est completa. Singularibus variis lectionibus uterque textus abundat, ac sacri quidem quasdam tetigimus in *Clavi codicum*, quibus adde Cant. vII 6. Ex *Scholiis criticis* unicus est Num. xxI 30, xxvII 18, Deut. x 9, xI 18, xxxIII 12.

Cod. 17

Pentateuchus, membr. german. in 8.° 2 col. sec. xIV vel in. xv.

Nitidus codex, masora nulla, fere nullum kerì, initialia verba majuscula, in lectione saepe singularis, ut loca olim allata in *Clavi codicum* ostendunt, quibus addendus Gen. xxxII 32, xLIX 11, Num. Iv 33, xxI 17, xxvI 41, Deut. xxxIII 21.

Cod. 18

Pentateuchus, membr. ital. in 12. in. sec. xIV.

Initialia verba majora, masora nulla, lectionis varietas maxima, saepe singularis et unicus cum Sam. textu vel versionibus antiquis, ut loca in *Clavi codicum* indicata demonstrant. Sed sexcenta loca omissa et ad marginem suppleta, ac crebrae emendationes magnam produnt amanuensis incuriam et supinam negligentiam.

Cod. 19

Pentateuchus, seu *Exodus, Levitic., Num., Deut.* membr. hisp. in 8.° sec. xIV.

Nonnullae tamen litterae ab hispanica elegantia deflectunt, initiales minores pro ritu hisp. codicum, masora nulla, kerì rarissimum, ac praeter singulares quasdam lectiones unicus est Deuter. III 21, et xxxIII 6.

Cod. 20

Prophetae priores ac posteriores seu *Josue, Judices, Libri Samuelis ac Regum, Jeremias, Ezechiel, Isaias*, ac *xII Minores*, memb. germ. in fol. 2 col. an. 1335.

Sic, ut in titulo, Jeremias posteriorum prophetarum primus, Isaias tertius, initiales majores, kerì in textu, crebrae in textu obliterationes et emendationes, crebrae ad marg. vel lectiones aliorum codicum, vel expositiones difficilium verborum, frequentissimae et insignes in textu discrepantiae a masorethico, saepe etiam singulares et unicae. Unicus in collatione Josue vI 20, Ix 6, x 33, Jud. III

7, et 10, I Sam. v 8, xiiI 6, xxiv 21, iI Sam. viiI 17, x 17, xix 37, I Reg. iI 30, iiI 22, x 12, xiI 16, iI Reg. xxv 4 et 9, Isai. xv 3, xix 10, xxviiI 21, xxxix 6, xlI 3, Jerem. xxiv 8, Ezech. xlviiI 28, l 45, Sophon. iI 14, Mich. v 1. Fere unicus iI Reg. ix 4, Is. xxvI 21, lxiv 10, Jerem. iI 19, x 20, xv 11, Ezech. xvI 45, xvI 52, Amos I 14, Habac. I 12, Soph. I 8. In fine: » Ego Isaac filius r. Mosis scriptor scripsi mihi hunc librum, absolvique illum anno 5096'. Liber hic absolutus est die xxI mensis chislev feria vI an. 96 min. supput. », idest sub in. decembris an. 1335.

Cod. 21

Prophetae priores, seu *Josue, Judices, Libri Samuelis* ac *Regum* cum *Masora*, membr. hisp. in fol. 2 col. sec. xiiI.

Charactere quidem hisp., sed admodum rudi et incompto, initiales minores, masora utraque, parva et magna, non infrequentes in textu liturae, quae vel indiligentem produnt amanuensem, vel discrepans, aliquando etiam mendosum, archetypum. Extat ad calcem nota an. 5112, vel 5113, Chr. 1352, vel 1353. Rariorem codicis lectionem produnt *Scholia* iI Sam. viI 23.

Cod. 22

Liber iI Regum, membr. germ. fol. 2 col. sec. xiv.

Incipit cap. I 7, rarioremque exhibet lectionem cap. xxv 10.

Cod. 23

Prophetae posteriores, *Isaias, Jeremias, Ezechiel, xiI Minores*, membr. hisp. in fol. 2 col. an. 1255.

Luculentus et accuratissimus codex, in quo initiales majores nullae, nulla masora, kerì a prima manu in textum receptum, unicus Amos iv 3, fere unicus cum Pisaur. editionibus Malach. iI 3. Ad calcem haec habet super ras. seriori manu rabb. charactere rescripta: » Hic in Arragonia regno Hispan. an. 5015 ab O. C. per manus scribae Isaaci Masseran in gratiam excelsi et cl. sapientis r. Samuelis Nescihì Levitae ». Nec tamen recentior, sed ejus aetatis est codex.

Cod. 24

Prophetae posteriores, *Isaias, Jeremias, Ezechiel, xiI Minores*, membr. germ. in fol. maj. 2 col. sec. xiiI.

Deficit Malachias. Isaias, pars Ezech., et xiI Minores a recentiore manu sunt sec. xiv. Unicus est Isai. v 18, xxxviiI 18, Jerem. xlviI 2, Ezech. iiI 21, viiI 2, viiI

9, Zach. IX 1, fere unicus Jer. XXXIV 3, Ezech. IV 15, XXI 29, XXIII 49, XXXII 30, XXXIV 16, XXXIX 4. Inter has varias lectiones eam quae Ezech. XXXII 30 reperitur et cum LXX conspirat, ut valde elegantem laudat cel. Michaelis *Supplem. ad Lex. hebr.* part. V p. 1810, velletque in pluribus codicibus servari.

Cod. 25

Prophetae posteriores, seu *Isaias, Jeremias, Ezechiel*, membr. hisp. in fol. 2 col. sec. XIII vel in XIV.

Incipit Isaiae I 18 ac postremum folium recentiori inelegantique manu charta suppletum. Character elegantissimus, masora nulla, kerì infrequentius, saepe in textum receptum, interdum diversum. A Josepho quodam esse exaratum indicant puncta huic nomini adscripta.

Cod. 26

Prophetae posteriores, *Isaias, Jeremias, Ezechiel, XII Minores*, membr. hisp. in 4.° 2 col. sec. XIII.

Egregius et emendatus, sine initialibus majoribus, sine ulla masora, rarioribus, quod in hisp. mss. rarissimum, variis lectionibus scatens. Unicus Ezech. XLVII 11, Mich. I 11, fere unicus Isai. XLVIII 6, et 14, Jerem. XXXIV 14, unus e perpaucis Isai. XLVII 13, Jer. XLVIII 4, et 45, Ezech. XXVIII 23, Malach. III 11, Sophon. I 17.

Cod. 27

Prophetae posteriores, seu *Isaias, Jeremias, Ezechiel*, ac *XII Minores* cum *Masora*, membr. hisp. in 12. 2 col. sec. XIV.

Incipit Isai. VI 4. Initialia verba majora, aurea, et ornata. Unicus Oseae XI 3, unus e paucis ibidem in alia lectione, et Jerem. XXXIII 16.

Cod. 28

R. Mosis Coen עזר אמונה *Ezer emunà*, seu *Munimen fidei*, chartaceus rabb. in 4.° an. 1677.

Ineditum opus antichristianum, de quo *Juchasìn* fol. 133, *Scalscèled akkabalà* fol. 61 a, Sabtaeus in *Siftè jescenìm* pag. 57, *Seder adoròth* fol. 60, et 174, ex christianis Buxtorfius *Biblioth. rabb.* p. 157, Wolfius T. I p. 831, et Rodriguez de Castro *Biblioth. hisp.* T. I p. 627. Auctorem alii nominant de Tordesilla, alii de Torisella, alii de Torsilia. Ex quibus lectionibus prior procul dubio praeferenda, ut sit ex Turri sillana, Hispanica urbe sat nota regni Legionensis. Praefatio auctoris prodit compositum librum anno צק"לה 135, Chr. 1375.

Ad calcem binae exhibentur epigraphes, quarum altera fert descriptum primum apographum die XXVIII nisan anni 5332, Chr. 1572, altera absolutum secundum hoc nostrum die I enceniorum an. 5437, Chr. 1677. Commemorati bibliographi vix librum memorant, nullumque ejus exemplar videntur vidisse. Sabtaeus provocat ad praefationem R. Scem Tov ad Ephodaei *Epistolam*, in qua reapse inter cetera antichristiana scripta nostri hujus fit mentio. Bina alia operis exempla vide sub n.° 74 et 121, et confer quae de opere ipso et auctore notavimus in *Bibliotheca judaica antichr.* pag. 26 et in *Bibliotheca* altera *jud.* *auctorum* vol. I p. 92.

Cod. 29

Aphtaroth seu *prophet. Sectiones* cum inedito *Commentario* R. Mardochaei Dato sub titulo *Scèmen amischà*, seu *Olei unctionis*, chart. rabbin. in 4.° 3 voll. an. 1589.

Notus auctor ejusque liber *Migdàl davìd*, de quo Wolfius T. I p. 791, et apud eum auctores *Scalscèled* et *Meòr enàim*, Sabtaeus et Hottingerus. At ignotissimum hucusque nostrum hoc opus, unicum, ipsiusque auctoris autographum. Titulus I vol. » שמן המשחה *Scèmen amischà* seu *Commentarius aphtararum totius anni*, quem composui ego minimus Mardochaeus Dato fil. domini R. Jehudae fel. mem., in gratiam ingenui viri, ingeniique et doctrina praestantis domini Emmanuel Eliezeris de Sitza familiae Uzielis, quem Deus servet, generi mei excelsi mihique filii ad instar charissimi, qui videat semen, producatque dies suos amen ». Praecedit index et auctoris epistola ad eundem generum qua ei ejusque nepotibus librum commendat. Primo vol. continentur Aphtarae Genesis et Exodi, secundo dierum festorum, tertio Lev., Num., Deut. Sub initium II vol. post ordinem psalmorum, qui cum singulis sectionibus legi debent, occurrit auctoris poema, quod per rascè tevòth, seu dictionum exordia ejus nomen et cognomen pandit. Sub finem vero sectionis Simchàd torà haec extat epigraphe: » Sit Dominus Deus noster nobiscum in omnibus, ad quae ituri sumus in captivitate hac diuturna, ut fuit mecum in hoc commentario in omnes Aphtaroth anni, donec illum absolvi die ista, feria I hebd. anno אש"מט, seu 349 min. supp. ». Tituli, epigraphe, frequentes in textu liturae, emendationes, mutationes, crebra ad marg. addi-

tamenta, chartae hic illic insertae, omnia uno verbo ipsissimum esse auctoris autographum, primumque et unicum exemplar patefaciunt. Accedit constans possessorum fides ac testimonium, quod et doctus Regiensis rabbinus Israel Biniamin Bassani amplissime olim confirmavit in ms. nota, qua codicem describebat. In fronte singulorum voluminum qui illum possederat, Abraham Graziani testatur se triginta ducatis aureis eum emisse. In hoc porro Comm. totus est Mardochaeus, ut prophetias illustret de futura israeliticae gentis liberatione. Quamobrem multa ibi de Messia, ejusque adventu et gestis pertractantur, quae recentiorem judaeorum de eo theologiam explanant, multaque panduntur nova et intacta, ut auctor ipse monet in titulo ודרכתי דרך לא סלולה משאר המפרשים ז"ל *Viam autem inivi non tritam a ceteris interpretibus fel. mem.* Ab auctore nostro non puto diversum esse Mardochaeum Dato, cujus correctiones in librum *Pardès* et *Zòar* vidisse se mss. testatur Azulai P. II *Scem aghedolìm* fol. 60. Sed aliud nos certum Dati nostri opus, ineditum et ipsum ac Wolfio ignotum, Romae vidimus in Casanatensi in 4.° a Raphaele auctoris ipsius filio conscriptum, quod זמרת יה *Zimràd jah, Laus Dei*, inscribitur ac rythmica cantica complectitur commentario illustrata. Conferantur quae de eo variisque ejus operibus observavimus in *Bibliotheca judaica antichristiana* p. 28 et in *Bibliotheca jud. auctorum* vol. I p. 97.

Cod. 30

Aphtaroth seu *Lectiones propheticae* quae diebus festis per annum leguntur, membr. germ. fol. min. 2 col. sub fin. sec. XIII vel in. XIV.

Quaedam etiam chaldaice exhibentur versibus alternis, sed ad calcem codex deficit.

Cod. 31

Agiographa, seu *Ruth, Psalmi, Job, Prov., Eccle., Canticum cant., Threni, Daniel, Esther, Esdras, Nehemias, Paralipomena* cum *Masora* et *Targum* versibus alternis in septem priores libros, et *Esther*, membr. germ. in fol. sec. XIII.

In Jobo tria folia recentiori manu suppleta. Pretiosissimus codex non tam propter antiquitatem, quam ob usum criticum, insignesque, raras, optimas quas servat, discrepantes lectiones. Unicus est Psal. XXIII 6, LXXXIX 12, Prov. XXVI 10, XXX 19, Job XXIV 13, II Paral. XXXV 20, fere unicus Psal. XII 8, CXLIII

9, Prov. xiI 12, xx 19, Neh. ix 22, I Par. xxvI 26, iI Paral. xxxv 15, et xxxvI 16 et 23, cum paucissimis consentiens in rarioribus lectionibus Psal. xviiI 27, xliI 12, l 11, lxxiI 18, cxl 5, Prov. x 21, xviiI 14, xxI 6, Job xviI 10, xxI 22, xxiI 25, Esdr. viiI 16, Neh. viI 57, I Paral. vI 11, ix 12, xv 18, xxv 8, iI Paral. xxv 23 bis, xxxv 23. A Nathane quodam scriptum fuisse puncta ostendunt verbo נתן superposita, quod occurrit Ps. cxI 5, et Jobi I 21.

Cod. 32

Agiographa, seu *Ruth*, *Psalmi*, *Job*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum canticorum*, *Threni*, *Daniel*, *Esther*, *Esdras*, *Nehemias*, cum *Masora*, *Targum* et *Commentario* R. Salomonis Jarchì, membr. germ. in fol. 3 col. sec. xiiI.

Commentarius quidem in omnes libros sistitur, sed Targum in solos Psalmos, Jobum et Proverb.. Librorum exordia litteris constant majusculis et plerumque ornatis, libri poetici per hemistichia distribuuntur, librorum ordo talmudicus, raras interdum lectiones exhibet, ut Job xxviI 19, Esd. viI 8, interdum rarissimas vixque in alio codice repertas, ut Job xxxI 15, xxxiI 24, Esd. iI 44.

Cod. 33

Agiographa, seu *Ruth*, *Psalmi*, *Job*, *Prov.*, *Eccle.*, *Canticum*, *Threni*, *Daniel*, *Esthèr*, *Esdras*, *Nehemìas*, *Paralipomena*, cum *Masora*, membr. hisp. in fol. an. 1290.

Magnificus ac castigatus codex, in quo praecedunt masorethicae tabulae summam versuum cujusque libri exhibentes elegantique ornatu circumseptae. Psalmi nonnulli metrice dividuntur, in librorum ordine servatur canon talmudicus, nec desunt rarae et singulares lectiones, ut Job xxxv 14, Esdr. iI 55. Paralipomena excipit sequens librarii epigraphe aversa pagina pulchre ornata. » Manu mei ipsius Chaiim scribae filii R. Samuelis fel. m. fil. Jachion ex urbe Toleti conscripta sunt haec Agiographa Valentiae, et finita die 3 mensis ijar an. 5050 a creatione in gratiam R. Nathan fil. Jacob ». Sed postremum hoc nomen abrasum est, ut vix appareat. Sequenti folio praeter notam venditionis an. 231, Chr. 1471, exhibetur index psalmorum, in quo numerantur ii 149.

Cod. 34

Agiographa, seu *Psal.*, *Job*, *Daniel*, *Esdras*, *Nehemias*, *Paral.*, *Canticum*,

Ruth, *Threni*, *Eccle.*, *Esther* cum *Masora* et *Comm.* Jarchì, membr. germ. in 4.° maj. sec. xiiI.

Usque ad Psal. xxiI recentiori manu suppletus sec. xiv. Libri poetici alternis lineis conscripti sunt, et singularis est ordo librorum. Pluribus iisque egregiis abundat variationibus. Unicus est Ps. cxx 7, Job xxiv 13, xxx 19, Prov. xvI 29, xxvI 16, Job xLI 1, Dan. ix 27, Neh. ix 22, I Paral. xiv 13, iI Paral. iI 9, vI 5, Thr. I 13, fere unicus Psal. cxix 37, Job xxxiv 36, Dan. xI 6, iI Paral. v 10, rarus vel unus e paucis Psal. xxvI 7, xxxI 20, xxxviI 39, LxviI 1, cxix 119, Job xxiv 13, xxxiv 36, Dan. iv 32, x 5, I Paral. iI 3, iv 15, xxiI 19, xxiv 6. Extat ad calcem nomen Issachar fil. Mosis, qui codicem emit an. 230, Chr. 1470.

Cod. 35

Agiographa, seu *Ruth*, *Psalmi*, *Prov.*, *Job*, *Eccle.*, *Canticum*, *Threni*, *Esther*, *Daniel*, *Esdras*, *Nehemias*, *Paral.*, membr. rabb. in 4.° min. 2 col. sec. xv.

Initialia verba aurea ornatuque diversi coloris nobilitata, librorum ordo talmudicus, sed Proverbia praecedunt Job. Non desunt rarae lectiones, ut Job xxiI 25, et Dan. v 8, explicitque iI Paral. xxxiv 7.

Cod. 36

1.° Psalterium Davidis.

2.° R. Mosis Kimchi מהלך שבילי הדעת *Maalàch scevilè adàhad*, seu *Progressus semitarum scientiae*, membr. rabb. in 8.° maj. in. sec. xv.

Psalmorum tituli plerumque rubro et caeruleo atramento sunt exarati, psalmique quidam hemistice divisi. Singularis est et unica nota marginalis ad Psal. xxiI 17 alios codices legere כרי. Sequitur minori charactere Kimchianus liber, celeberrimam sistens Grammaticam hebraicam multoties editam sub titulo פעולה לר' משה קמחי *Opus R. Mosis Kimchì*, quo et ad calcem inscribitur. De ea ejusque auctore consule nuperrimam *Bibliothecam* nostram *judaicorum auctorum* T. I p. 190.

Cod. 37

Psalterium, memb. hisp. 12. sec. xiv vel in. xv.

Cod. 38

Psalterium, memb. germ. 12. sec. xiiI vel in. xiv.

Quod in germanicis codicibus rarum, initiales litterae vel dictiones minores sunt, kerì nullum, unicus Psal. xiv 1, quasi unicus cx 7.

Cod. 39

Psalterium, memb. rabb. in 16. sec. xiiI vel in. xiv.

Charactere rabb. hisp. flaviori. Psalmi non numerantur, sed solo spatiolo dividuntur, plerique alternis lineis, quidam metrice exarati, omnes in 5 libros distributi, nullae initiales majores, nullum kerì. Rariores sistit lectiones Psal. LXX 4, LXXVIII 71, CVIII 2.

COD. 40

PSALMI, PROVERBIA, JOB, memb. rabb. 16. sec. XV.

Titulus auro ornatuque varii coloris condecoratur, quo et distincti sunt tituli cujuslibet psalmi.

COD. 41

QUINQUE MEGHILLOTH, seu *Volumina Ruth, Ecclesiastis, Cantici, Threnorum* cum *Psalmis* 137 et 79, et *Esther* cum *Comm.* Gersonidis, memb. in fol. 2 col. an. 1449.

Sacri textus character italicus, commentariorum rabbinicus, uterque flavescens. Character, forma, annus congruit cum Pent. n.° 6, cujus nostra haec Volumina pars sunt, ut ex utriusque codicis patet epigraphe. Ad calcem nostri hujus: » Absolutumque est opus ministerii sancti, Pent., Comm., Targ., Aphtaròth, V Meghillòth, Comm. V Megh. Rascì, et Comm. alterius earumdem R. Levi ben Gerson per manus minimi Mardochaei e Soliano oriundi fil. Mosis Tobi senioris fel. m. Eum autem exaravi pro desideratissimo juvene Menachèm fil. Isaaci de Revere, fuitque finis hodie feria VI die XXIII mensis ijar an. 5209 ab orbe condito, absolvique illum hic Reveri in domo ejus ». Occurrunt primo sacra Volumina cum Jarchii Commentario in inferiori margine, deinde vero seorsim Gersonidis Comm. in Cant., Eccles., Esther ac Ruth. Nam ejus Commentarius in Threnos, ut notum est, non extat. Primus ille in Canticum hac explicit auctoris nota: » Fuitque finis ejus exeunte mense tamuz an. 85 sexti millenarii. Laus Deo soli qui adjuvit nos, benedictus sit ipse in aeternum. Amen ». Idem annus 85, Chr. 1325, legitur infra in cod. 273. Bini ergo codices mei damnant editionem Tridentinam 1560, quae habet 86. Ex iis etiam intelligis annum 5089 codicis Taurinensis a Wolfio notatum T. IV pag. 892 ad solum Ecclesiastem et Ruth esse referendum, non ad Canticorum librum. De celebri hoc auctore ejusque commentariis vide *Bibliothecam* nostram nuperrimam *jud. auctor.* T. I p. 126.

COD. 42

QUINQUE MEGHILLOTH, seu *Ruth, Threni, Cant.,*

Eccle., *Esther*, cum *Targum* versibus alternis, *Masora*, ac *Somnio* Mardochaei, seu chald. *Estheris Additamentis*, membr. germ. in fol. a col. sec. XIII.

Post Esther habet ejusdem Additamenta praefixo titulo *Incipiam librum Somnii Mardochaei*, hacque finali nota: *Explicit liber Somnii Mardochaei et Oratio ejus cum Oratione Esther*. Exhibent puncta et ad calcem summam versuum. De iis conferantur quae diximus in *Specimine pontificii codicis*, in cujus iterata editione Tubingensi suppeditamus varias eorumdem lectiones nostri codicis.

Cod. 43

Quinque Meghilloth, seu *Ruth*, *Canticum*, *Eccle.*, *Threni*, *Esther*, memb. germ. 4.° sec. XIV.

Cod. 44

Estheris Liber in forma vol. ms. in corio hisp. sec. XV.

Rotatili illa et antiquissima libri forma, qua plagulae vel membranae continuae simul assutae circa lignum in cylindri modum circumvolvuntur, non modo utuntur judaei in exarandis publicis synagogarum voluminibus, sed et in describendo praelegendoque in festo purìm libro Estheris, cujus tanta est apud eos excellentia, ut diserte in *Jad chazakà* scribat Maimonides, » omnes libros propheticos et agiographos diebus Messiae fore abolendos, praeter Estheris volumen, quod consistet sicut V libri legis ». Hicque usus communis est et universalis, lateque per regiones omnes, nationes, synagogas diffusus; ex quo fit, ut horum voluminum ingentissima extet copia, ac Estheris quidem, quae legi ab omnibus debent, hominibus, mulieribus, pueris, peregrinis, servis, vere immanis et incredibilis. Quod adeo compertum est, ut mirandum plane sit Trombellium nostrum, virum doctissimum, illud potuisse ignorare ac contrarium scribere in *Arte* sua *dignoscendae mss. codicum aetatis* p. 67. Nos in iis colligendis modum et delectum instituimus, ea generatim praeferentes quae videbantur antiquiora, reique criticae utiliora. Alia membranacea sunt, alia in ghevìl, seu pelle vel corio exarata, omnia cum coronulis ac sine punctis. Nostrum hoc quod primo loco occurrit, est in antiquo ghevìl, charactere exaratum hisp. luculento, quaelibetque columna constat lineis octodecim.

Cod. 45

Ruth, Cant., Eccles., Esther cum *Commentario*

R. Levi Gersonidis, membr. rabb. nitid. in 4. an. 1419.

Sacer textus sine punctis charactere et ipse rabb., sed majori in Cantico et Ecclesiaste, minori et laterali columna quoad binos reliquos libros. Comm. in Ruth hac explicit nota: » Absolvitque R. Levi initio nissan an. 89 sexti mundi millenarii », Chr. 1329, in Eccle. vero hac alia: » Fuitque finis ejus die IX mensis marchesvàn an. 89 sexti mundi millenarii (Chr. 1328). Benedicatur et exaltetur Deus qui adjuvit me misericordiis suis, et in multitudine miserationum suarum super omni benedictione et laude. Amen ». In prima de anno absoluti ab auctore operis loquitur scriba, in secunda auctor ipse, qui, ut saepe videbimus, ad librorum calcem diem, mensem et annum designare consuevit, quibus absolvebantur. Sub finem Comm. in Esther tertia haec conspicitur codicis epigraphe: » Hicque explicit expositio volum. Assueri, fuitque finis ejus R. Levi die XV sivan an. 179 ».

Cod. 46

1.° Anonymi *Comment. in Canticum canticorum.*

2.° R. Levi Gersonidis *Comm. in Ecclesiastem,*

3.° R. Mosis Maimonidis *Scemonè perakìm,* seu *octo Capita de animae facultatibus* a R. Sam. Tibbonide hebraice versa,

4.° Ejusdem *Tredecim articuli fidei,*

5.° R. Sam. Aben Tibbon *Ruàch chèn, Spiritus gratiae,* chart. rabb. 4.° min. sec. XV.

Explicit Comm. ille in Canticum spe liberationis proximae ac versibus quibusdam, in quibus Deus celebratur, sed non proditur auctor. Quae sequuntur opera, omnia notissima sunt, diuque et saepe impressa. Octo ea Maimonidis Capita eadem sunt cum ejus praefatione fusa ad Comm. in Pirkè avoth, unde sunt hausta. Praefixa ergo reperiuntur plerisque mss. quae eum exhibent. Tredecim autem fidei articuli, qui et ipsi seorsim extant et mss., et editi, desumpti sunt ex ejus praef. ad Comm. cap. X Sahedrìn.

Rùach chen in octo aliis quos possidemus, mss. codicibus, 145, 207, 371, 750, 770, 776, 1046, 1246, ut et in reliquis fere omnibus exterarum bibliothecarum, anonymus plane est, et inter anonymos recensent Grodeckius, Sabtaeus, ac Wolfius T. II p. 1428, putantes ab ignoto auctore prius arabice conscriptum, deinde vero a Tibbonide hebraice fuisse conversum, quorum sententiam et nos ipsi secuti sumus

in nupera *Bibliotheca jud. auctorum* T. II p. 149. At vero illud singulare in nostro hoc codice, quod rythmicus quidam titulus operi praemittitur, in quo nominatur ut ejus auctor Ben Tibbon, Johannis Isaaci Levitae, Buxtorfii, Plantavitii opinionem diserte confirmans, qui sentiunt Tibbonidem ipsum ex arabico Morè nevochìm compendium istud fecisse. Titulum ipsum sistimus, paullo obscuriorem.

עשר קבין רוח שכל המה ירדו על כל בוחן

תשעה מהן נטל הרב מורה מור וקציעות טוחן

בן תבון קח שמץ מנהו שמו קרא רוח חן

Decem cabi spiritus intelligentiae descendunt ad quemlibet exploratorem.

Novem ex iis fert rav Morè seu *doctor myrrhae, cassiam vero molit.*

Ben Tibbòn. Sume pauxillum ex eo. Nomen ejus vocavit Ruàch chèn seu *Spiritus gratus.*

Atque hic, meo quidem judicio, est horum verborum seu versuum sensus, novem intelligentiae partes seu plerasque Maimonidi deberi, qui morè seu doctor per antonomasiam dicitur, ejusque Morè nevochìm, unde haec sunt petita, ejus vero summam ac succum hoc libello contentum, quem cassiam odoriferam appellat ac spiritum gratum, Tibbonidi.

Nec id porro solus nostri codicis titulus arguit, sed et ipsa operis praefatio, in qua Tibbonides vocatur nomine המחבר *auctoris*, aitque se ex lectione Maimonidei illius libri permotum, ut suum hunc conscriberet. Anonymus auctor Comm. in octo Perachìm Maimonidis, quem exhibet cod. meus 149, ad caput I profert et ipse R. Sam. ben Tibbon ut auctorem hujus libri, remque omnem videtur luculentius adhuc dirimere epigraphe codicis anno 1476 scripti, quem Wolfius ipse nuper se accepisse testatur vol. IV p. 1059, haecque ad calcem legere: נשלם החבור אשר חבר החכם הגדול הפי׳ לוסוף האלחי ר׳ שמואל בן תבון « Explicit opus quod composuit doctor magnus ac divinus philosophus R. Sam: ben Tibbòn».

Ex hisce autem postremis testimoniis illud etiam intelligimus, eum Tibbonidem, quem ut libri auctorem memorant nostri codicis titulus, Isaacus Levita, Buxtorfius ac Plantavitius, esse R. Samuelem aben Tibbòn, non Jehudam ejus patrem, ut tradunt Sabtaeus ac Wolfius T. I p. 455 et 1099, ac multo antea Elias Levita in hebraicis nonnullis versibus, quos Venetae hujus libri editioni praefixit Wolfio igno-

tae, anni 1549. Quod praeter auctoritatem codicum ratio ipsa aetasque Jehudae manifestissime evincit. Vixisse enim eum ante Maimonidem omnes consentiunt, idque bis fol. 41 pag. versa ex aetate filii demonstrat auctor *Scalscéled*. Quomodo ergo tribui ei potest sive ut auctori, sive ut interpreti, liber ex Maimonidis *Morè* depromptus, vel ad ejus illustrationem conscriptus? Mirum absurdum hoc doctissimos illos viros non vidisse, ac Wolfium praesertim, qui auctoris *Scalscéled* de Jehudae aevo testimonium et argumentum notat T. I p. 454. Contra rectissime ejus filio Samueli, Maimonidis aequali, tribuitur, qui et librum ipsum Morè hebraice vertit, et difficiliora ejus vocabula illustravit.

Patet hinc quid dicendum sit de codice Mediceo 542 inter Palatinos a Biscionio relato *Biblioth. heb. Flor.* p. 556, in quo liber Rùach chen dicitur in fronte a R. Jehuda aben Tibbòn translatus. Etenim si Jehudae nomen illic reapse legitur, error ex scriba codicis repetendus est, qui pro filio patrem inepte obtrudit, et pro auctore interpretem. At vero suspicio est non exigua in codice aliter legi. Nam in *Catalogo* Magliabecchiano codicum mss. biblioth. Mediceae, qui a Schelhornio *Amoenitatum litter.* T. III insertus est, et a Wolfio allegatur T. III p. 1100, p. 224 hebraica illa interpretatio nostri libri non Jehudae adscribitur, sed Samueli. Errasse tamen scribam Vaticani codicis 349 ego quidem non dubito, qui si *Catalogi* auctoribus credimus T. I p. 332, solus et sine ulla alia auctoritate codicum ulloque fundamento, novum plane hujus libri auctorem praesefert, et hucusque inauditum, R. Jacobum Antoli. Sed de hujus libri auctore, hucusque incerto, satis diximus. In nostro hoc codice variae nonnullae aliorum codicum lectiones ad marg. notantur, pluresque textus ipse suppeditat.

COD. 47

1.° ECCLESIASTES cum *Comm.* Gersonidis.

2.° Ej. GERSONIDIS *Comm.* in *Esther*, memb. 4.° sec. XV.

Ecclesiastis character quadratus germanicus cum punctis, rabbinicus utriusque Commentarii. Prior Comm. dicitur ad calcem absolutus ab auctore die VII marchesvan an. 89 sexti millenarii, hoc est mense octobri an. Ch. 1328, posterior sub initium mensis nissan ej. anni, Ch. 1329. Quum pleraeque hae compositionis epochae igno-

rentur, saepeque in iis referendis, quae sunt notae, a Wolfio aliisque bibliographis erratum sit, non inutilem nos operam, aut ingratam facturos putamus, si ex certis nostrorum codicum epigraphis perbrevem earum prospectum ac chronologicam seriem hic exponamus, singulosque annos diligenter et accurate indicemus, quibus opera sua Gersonides vulgavit. Anno 79 sexti millenarii ab orbe condito, Ch. 1319 absolvit is et edidit Commentarium in Aristotelis librum de Syllogismo ex cod. 805, an. 81, Chr. 1321 lib. de Arithmetica ex 836, et Comm. in Arist. lib. Physicae ausc. ex Vaticano, an. 85, Chr. 1325, Comm. in Cant. ex 41 et 273, an. 86, Ch. 1326, Comm. in Jobum ex cod. 70, 182, 203, 600, 1094, anno 88, Chr. 1328, primam Sectionem Genesis ex cod. 157 et 453, an. 89 incepto, nostro ad fin. vergente 1328, Comm. in Ecclesiastem ex 45, 47, 313, eodem anno 89 progresso, Ch. 1329, Comm. in Ruth ex cod. 45, et 516, Comm. in Esther ex cod. 47, librum Milchamòth ascèm ex cod. 135, 460 et edit. Tridentina, an. 90 ineunte, Ch. 1329, integrum Genesis librum ex cod. 157 et 453 et antiqua edit. Conathi, ac Ven. 1547, an. eodem 90 adulto, Chr. 1330, Comm. in Exodum ex iisdem fontibus, an. 92, Ch. 1332, Com. in Meteorologica Arist. ex cod. Leidensi, an. 98, Ch. 1338, Comment. in Num. et Deut. ex cod. 157, et editione Conathi, ac Veneta, Comm. in Libros Samuelis ex eorum epigraphe in Bibliis rabbin. Venetis, Comm. in Prov. ex cod. 805, in Dan. ex cod. 273, 461, 498. Integras epigraphes habes in eorumdem codicum illustratione.

Porro ex indubiis hisce aeris erroris manifeste redarguitur, quod de Gersonide, ad ejus sane laudem, tradit Luzzatus in perraro italico libro *Discorso circa il stato degl'hebrei* p. 79, insignissimum hunc plurium doctissimorum operum auctorem obiisse annos natum tantum duos ac triginta. Etenim ab anno 5050, quo circiter eum vixisse asserit Jachias, ad 5098, quo plures libros adhuc edidit, anni sunt octo et quadraginta. Vix autem serius natus constitui potest, quum anno 5079 jam absolverit Comm. de Syllogismo, nisi eum anno aetatis decimo tertio dicas edidisse, eumque annum 5098 fuisse Gersonidis emortualem, quorum alterum absurdum est, alterum incertissimum et judaeorum traditioni contrarium. Perpiniani namque eum mul-

to post decessisse, videlicet anno 130, testis est Zacutus in *Juchasìn* fol. 133 b edit. Cracoviensis, ita ut a solo anno 98 ad obitum ii anni intercesserint, quos putat Luzzatus integram auctoris nostri vitam complevisse. Itaque si binis istis judaeorum historicis credendum est, Luzzato antiquioribus et accuratioribus, de illustribus nationis viris ex suorum traditione scribentibus, longior vitae terminus, isque annorum 80, Gersonidi est assignandus, quamquam, quod non diffiteor, mirum cuique videri possit ac mihimet ipsi videatur, quod ab anno 98 ad 130 nihil amplius is scripsisse reperiatur in tot librorum suorum epigraphis. Quidquid tamen de vero nativitatis vel mortis anno sit, constat jam ex epigraphis ipsis certissimis eum potissimum floruisse ab an. 79 ad 98 vel 100 sexti millenarii, Chr. 1319 ad 1340, adeout mirer summopere ab auctoribus *Dictionarii historici par une société de gens de lettres*, qui et sicco prorsus pede de nostro scriptore agunt, tamquam incertum statui et ignorari tempus, quo floruerit. Jam haec scripseram, quod casu resumens cod. 836, qui Gersonidis Arithmeticam continet, non sine admiratione ac voluptate reperi in ejus epigraphe praeter annum orbis conditi designari etiam annum aetatis ejus tunc decurrentem. Scribit scilicet se eum librum absolvisse an. 5081, quum pervenisset ad annum aetatis suae trigesimum tertium. Lis ergo omnis hujus codicis nostri auctoritate dirimitur, verusque nostri auctoris nativitatis annus, hucusque ignotus ac dubius, nunc primum detegitur, incidens in an. mundi 5048, Chr. 1288. Conferatur *Biblioth.* nostra *jud. auctorum* vol. I p. 126.

Cod. 48

Ecclesiastes cum inedito *Comm.* r. Abr. Peritzòl vel Farissol membr. ac bomb. 4.° min. an. 1525.

Quadrato charactere italico sine punctis quoad textum, rabbinico vero quoad ineditum Wolfioque ignotissimum commentarium. Titulus באור קהלת לאברהם פריצול *Expositio Ecclesiastis Abrahami Farissol*. Incipit: » Dicit Abraham Farissol filius Mardochaei Farissol Avenionensis peregrinans Ferrariae ». Ad calcem: » Hoc est quod constitui ego Abraham Farissol exponere de libro Ecclesiastis hic Ferrariae, misique eum ad principem celebrem ex semine israel in monumentum anno 285 ». Titulus, epigraphe, character cum a-

liis, quos possidemus, Farissolii manu descriptis codicibus collatus, omnia demonstrant hunc esse auctoris autographum, quem non Peritzol, ut communiter hucusque dictus est, sed Farissol esse appellandum ex indubiis et autographis ejus notis manifeste infra ostendimus ad cod. 145. Quem codicem quum Farissolius ipse Avenione conscripserit anno 1468, aliosque non paucos seq. annis exaraverit, ut Mediceum an. 1473, nostros 79, 201, 474 annis 1482, 1500, 1516, anno vero 1525 non modo Comm. in Ecclesiastem, sed et celebre suum Itinerarium composuerit, quis ferat insignissimos Bartoloccii ac R. Jechielis, auctoris *Seder adoroth*, anachronismos, quorum alter tradit eum Ferrariae natum fuisse an. 1525, alter floruisse anno ab O. C. 5340, Chr. 1580? Confudit videlicet Bartoloccius cum anno nativitatis annum, quo Ferrariae degebat ac scribebat, qui solus eruitur ex cap. XIV laudati Itinerarii, ad quod appellat, auctor vero *Seder adoroth* scribere profecto voluit an. 5240, Christi 1480, quum subdat se Itinerarium illud, *Ighèred orchòth olàm* inscriptum, vidisse Ferrariae impressum anno 285, Chr. 1525, iterum confundens annum compositionis cum anno editionis. Confer. annotata ad cod. 145, 300, et ad supposititiam eam editionem in *Comm. de typogr. hebraeo-ferrariensi*, de Farissolio vero ipso ejusque operibus quae scripsimus in *Bibliotheca jud. auctorum* nuperrime edita T. I pag. 117. Adeo autem evidens est auctoris nostri esse epigraphem codicis Medicei libri analyticorum an. 1473, ut mirer Biscionium, post relatas Bartolocii ac Wolfii sententias, dubium adhuc esse et incertum, immo suspicari *Bibl. hebr. Flor.* p. 498, quum utrique patris nomen fuerit ignotum, quod est falsissimum, Abrahamum nostrum diversum fuisse ab illo, de quo illi loquebantur. De inedito hoc nostri commentario silent et judaeorum auctores profundissime.

Cod. 49

Estheris Meghilla seu *Volumen* in ghevìl seu pelle vitulina, mediocris formae, hisp., recentioris aetatis, cujus columnae constant lineis 23.

Cod. 50

Estheris Volumen membrani sec. XV.

Eximiae magnitudinis cum antiquo cylindro, character hisp. major, lineae 23. Separata membrana extat oratio ante Voluminis lectionem

dicenda, sub finem vero ea quae dicitur post, cujus postrema linea deleta. Complectebatur procul dubio verba, quae infra ex cod. 52 et 53 proferimus.

Cod. 51

Estheris Volumen membran. sec. xv vel in. xvI.

Praecedente et reliquis omnibus majus, sed minori charactere hisp. Habent columnae lineas 40.

Cod. 52

Estheris Meghilla, seu *Volumen* membr. sec. xv, forte etiam xiv.

Majoris formae et cum rotatili ligno antiquo et affabre elaborato. Character hisp., primum verbum majusculum, lineae columnarum 20. In precibus post dicendis quae subjiciuntur, post *maledicta Zeres*, binae lineolae abrasae sunt, quae verisimilius verba aliqua antichristiana continebant, deinde haec alia sequuntur: » Sicut ultus es de primis, sic ulciscere et exscinde ultimos, omnisque israel quàm cito sit salvus ». In aliis voll. haec plerumqne omissa, vel abrasa, vel immutata, mirumque est a Buxtorfio, Bartoloccio, Wagenseilio, Wulfero, Wolfio, aliisque, qui de antichristianis judaeorum precibus fuse egerunt, de nostra hac nihil dici. Ad earum enim numerum esse referendam tum verba ipsa orationis, tum eorum abrasio, immutatio, omissio sat superque demonstrant.

Cod. 53

Estheris Volumen membr. sec., ut videtur, xv.

Primum verbum majusculis et aureis constat litteris eleganti ornatu violacei coloris clausis, columnae lineis 20, character hisp.. In oratione post dicenda ad calcem subjecta priora ea verba occurrunt » Sicut ultus es de primis, sic ulciscere et exscinde ultimos. Amen ».

Cod. 54

Estheris Volumen membr. sec. xvI vel in. xvII.

Praecedentibus minus, minor etiam et hisp. character. Totum volumen 5 membranis absolvitur, quaelibet membrana 3 columnis, quaelibet columna lineis 31. Membranae ornatu quodam inciso ac depicto condecorantur.

Cod. 55

Proverbia, Daniel, Esdras, Nehemias, Paralipomena, membr. in 4.° sec. xiv vel in. xv.

Proverbia integra pagina, reliqua binis columnis. Raram lectionem habet Prov. x 32, desinitque II Paral. xv 2.

Cod. 56

Job et Proverbia, membr. hisp. in fol. min. vel 4. maj. sub fin. sec. xiI vel in. xiiI.

Incipit Job xxix 15, deficit a xxxI 13 ad xliI 3, et desinit Prov. xxix 25. Metrice divisus, et litteris scriptus valde obsoletis. Puncta litteris coaeva.

Cod. 57

Job Prov. Canticum canticor. memb. rabb. 12. sec. xiv.

Canticum seriori manu minorique charactere adjectum. Rarior lectio occurrit Job. xxviiI 27.

Cod. 58

Job cum inedito *Comm.* r. Immanuelis fil. Salomonis, memb. rabb. 4.° maj. sec. xv.

Infrequentes adeo sunt r. Immanuelis, celeberrimi et elegantissimi poetae et interpretis, mss. codices, ut in ditioribus ipsis Europae bibliothecis, Parisiensi, Bodlejana, aliisque nulli compareant, in Vaticana vero vix noster hic Comm. in Jobum occurrat cum Proverbiorum fragmento. Nam qui praeterea memoratur Comm. in Canticum, recentissimum apographum est ex bibliotheca ducis de Altemps descriptum. Exiguae ergo nostrae hujus supellectilis laus est non exigua, quod Immanuelis codices enumeret duos et viginti, plerosque ineditos, nonnullos quoque ignotissimos et unicos. V. *Bibliothecam* nostram *jud. auctorum* T. I p. 112, ubi de auctore ac singulis ejus operibus editis et ineditis egimus. De nostro hoc Comm. in Jobum, quem praeter hunc codicem sistit etiam 574, silent omnes judaeorum bibliographi, auctores *Scalscèled akkabbalà*, *Siftè jescenìm*, *Korè adoròth*, *Sedèr adoròth*, *Scèm aghedolìm*. Ex christianis monuit Bartoloccius ms. reperiri in Vaticana, sed perperam nostrum Emmanuelem ab auctore ***Mechabberòth*** seu ***poeticarum Compositionum*** distinxit. Wolfius etsi verisimile sibi videretur T. I p. 951, unum eundemque esse auctorem, ausus tamen non est hunc commentarium illi adscribere, ab iis solum rem confici arbitratus qui mss. ipsos codices possunt inspicere. Postea vero quum ex Neap. editione, in hoc ut videbimus, mendosa, Comm. in Proverbia Immanueli alteri fil. Jacobi adjudicasset, idem de reliquis commentar. conjecit T. III p. 882. In quo quidem quam fallatur vir cl., mss. mei codices evincunt, tum Proverbiorum omnes, tum Jobi uterque, in quorum praefatione diserte auctoris nomen habetur Immanuelis

fil. Salomonis de urbe Romae ab auctore ipso expressum. In eadem porro praef. memorat auctor et Comm. suum in Proverbia, aitque se ad conscribendum hunc in Jobum a R. Isaaco fil. Minchà Romano fuisse excitatum. Primae duae paginae ornatu varii coloris et aureo circumsepiuntur. In posteriore praeter possessoris stemma et imaginem minimae formae, binae aliae picturae reperiuntur, quarum altera rabbinum in cathedra docentem, forte ipsum Immanuelem, repraesentat, altera Jobum fimo stratum et ulceribus sauciatum cum uxore tribusque amicis adstantibus. Textus, rabbinico et ipse charactere exaratus, habet puncta, capitum exordia exiguis et elegantibus ornatibus diversi coloris distinguuntur, subque finem codicis hanc librarius posuit notam: » Ego Jehoseph fil. R. Sabtaei fil. R. Sal. scripsi hunc Comm. Jobi cum ejus textu, punctisque eum instruxi in gratiam cl. praeceptoris mei, dilecti R. Mosis fil. R. Nathan. Deus dignum eum faciat meditari in illo, ipsum et semen ejus et semen seminis ejus, et appropinquare faciat illum ad dies Messiae et ad vitam futuri seculi. Confortetur Jehoseph scriba ». Singularis est textus et unicus c. XXIV II.

COD. 59

JOB, RUTH, CANT., ECCLE., THRENI, ESTHER, memb. ital. in 16. sec. XIV vel in. XV.

Pleraque sine punctis. Titulus evanido ornatu cingitur, majoribusque litteris distinguuntur initia librorum.

COD. 60

LEXICON BIBLICUM *hebraeo-gallicum*, membr. rabb. in fol. an. 1279.

In quo sacri textus verba juxta librorum ordinem producuntur, deinde gallice, sed charactere rabbinico cum punctis, postremo synonimis verbis vel phrasibus, identidem targumica versione, explanantur. Incipit a sectione Vaislàch, et explicit hac librarii nota: » Finitus est Esdras. Laus Deo qui universum suum creavit. Absolvi Agiographa. Laus ei qui habitacula inhabitat. Ego Jechiel fil. R. Eliezer scripsi mihi et complevi has expositiones vernaculas XXIV sacrorum librorum die XVI mensis AV an. 39 min. supp. in urbe Taleaburgi ».

COD. 61

MACHAZOR, *Cyclus* vel *Breviarium judaicarum precum totius anni* ritus italici cum *Sectionibus pent. ac prophetarum* occurrentibus hebraice et chaldaice, *Psalmis*

plerisque, *Pirkè avòth, Constitutionibus ritualibus,* Salomonis Gaviròl *Chèder malcud* aliisque, memb. rabb. fol. an. 1403.

Liturgici judaeorum libri manu exarati plurimi in nostra hac supellectile occurrunt, varii ritus, aetatis, formae, modo breviores, modo prolixiores ac pleniores, multiplicis usus. Habent enim preces remotissimae, et si judaeos audimus, primissimae antiquitatis, singulares alias medio aevo constitutas, alias ineditas nec alibi obvias, habent integras precandi formulas antichristianas, in editionibus resecatas vel immutatas, modo deletas et abrasas, modo intactas, elegantissima geonaeorum sacra carmina, insignia biblica excerpta a nobis utiliter collata, saepeque integros scripturae libros, varias Targumi sectiones, celebria patrum Capitula, passim cum Maimonidis Commentario, rituales Constitutiones ex variis auctoribus collectas, aliaque inserta, nec omnia typis vulgata. In nostro hoc praeter ea quae in titulo annuntiavimus, extant Azaròth, seu Admonitiones, Paraeneses R. Eliae et R. Salomonis, Gheulà seu Oratio redemptionis R. Abr. aben Ezrae, alia R. Maimon, Bakascà, seu Imploratio R. Jehudae Levitae, ejusdem Hymnus elegans Mì camòcha, qui canitur ante festum purìm, et incipit Adòn chasdechà, Vidui seu Confessio Gaòn, idest R. Saadiae, Selicòth seu Deprecationes multae sive anonymae, sive expressorum auctorum ut R. Salomonis, Aben Ezrae, R. Abrahami, R. Isaaci, R. Biniamini et Jehudae Levitae variae, Tochechòth R. Salomonis Katon et R. Biniamini, Musaph seu Auctarium jejunii expiationis R. Jochanan Coèn, Seder avodà Aben Ezrae, Minchà R. Eleazaris ben Kalir, Ordo Aphtaròth totius anni, Sod hibbùr seu Arcanum intercalationis, R. Biniamini fil. Abr. Rophè XIV Saharim seu Sectiones, Ciclus revolutionum, Tikkùn seu forma variorum contractuum, et Saharè hètz chaiim seu Sectiones arboris vitae.

Elias ille est Elias senior, cujus est ordo ex sacris excerptis contextus, in libris precum saepe et ipse obvius. De eo Wolfius sub n.° 241, sed ejus Azaròth omittit. Conferatur de iis Azulai parte II *Scèm aghedolìm* fol. 2 b, qui notat illis potissimum uti germanos ac polonos, earumque auctorem celebris Hai Gaòn fuisse affinem. Quae vero tribuuntur Salomoni Paraeneses, plenius in aliis codicibus dicuntur esse

Salomonis Katon seu Parvi, in aliis apertius R. Sal. ben Gaviròl, in quibusdam vero, ut nostro 373, omnium plenissime R. Sal. Gaviròl Katòn, vel ut 804, R. Sal. Katòn bèn Gaviròl. Unus ergo idemque est scriptor, a Wolfio in binos perperam distinctus sub numeris 1966 et 2018. Sub priori eo nomine Katòn ejus meminit etiam R. Salomon Parchon, ut infra videbimus ad cod. 1038, qui et eum eximium poetam appellat. Ac sub hoc quidem nomine, sub quo rythmicae ejus Paraeneses et Tochechà saepissime in mss. editisque precum Breviariis reperiuntur insertae, eas iterum omittit Wolfius, sed profert sub communiori altero Salomonis ben Gaviròl, ubi et de ejus Chedèr malcud, seu Corona regni agit, qui pluries editus est, ms.que in aliis non paucis nostris codicibus occurrit. Nota tamen in latino Wolfii indice ad calcem IV vol. prave hujus auctoris nomen exhiberi Salomon fil. Gabriel pro Gavirol. Quod nisi animadvertas, frustra in eo auctorem quaeres valde celebrem. Frustra etiam in Wolfio quaeres Jochananis Coèn Musaph, Minchà Eleazaris ben Kalir ejusque auctorem, Saadiae Vidui, Saharè hètz Chaiim, et Sod hibbùr, de quo confer annotata ad cod. 167 et 1191. Est enim idem in singulis libellus. Silet etiam T. III p. 148, ubi de R. Biniamino fil. Abr. Rophè, de ejus Saharìm, vix eum, quod miror, innuens ex testimonio libri Tanià, nihilque habet de Biniamino altero simpliciter dicto, ejusque Selicòth aliisque sive precibus, sive carminibus, quae in judaeorum Euchologiis passim occurrunt, praesertim italicis. Biniaminum hunc haud temere quispiam conjecerit eundem esse cum Biniamino filio Abr. Rophe, auctore XIV Saharim superius commemorato, et fratre R. Sedeciae Rophè auctore Scibbolè allèket, ut infra animadvertimus ad cod. 190, quem et eundem esse opinor cum eo qui librum Jereìm redegit et alterum Jedidùd composuit, de quo R. Ghedalias in *Scalscèled* fol. 56 b, eum recensens ut in Italia degentem et Sedecjae coaevum, cujus fratrem esse ignorabat. Sed ex tot codicibus, qui ejus preces continent sacrosque hymnos, nullus est qui patris nomen indicet, et conjecturam confirmet, ac nescio quo jure notet Wolfius T. II p. 1334, agens de Machazor italico, precationi in festo novi anni adscriptum esse nomen R. Jekuthielis filii Mosis et Biniamini filii Samuelis. Nam

extat quidem rythmica precatio seu hymnus pro novo anno Biniamini, qui incipit אח אני ה׳, sed adjunctum illud filio Samuelis non legitur, nec Wolfius ipse auctorem hunc in reliquorum ordine recenset. Tacet et de Aben Ezrae Gheulà, de ejus Selicòth, de ejus Seder avodà sub specialibus hisce titulis, quamquam dubitandum non sit, quin comprehendantur iis precum formulis, quas asserit Wolfius T. I p. 85 illi tribui in Machazòr hispanico. Integrae hic prima manu sistebantur preces nonnullae gentibus et edomaeis, seu nobis injuriae, quae abrasae sunt vel deletae, inter quas et consueta verba bircàd aminìm, seu celebris imprecationis contra haereticos et apostatas, et orationis alènu. Ad calc. codicis: » Absolutum est autem universum opus sanctum, quod ego feci in hoc Machazòr, opera mei, Sabtaei fil. Menachèm Konròthu, perfectumque feria VI die VIII mensis adar primi an. 5163 ab O. C. » Explicit rythmica oratione Rescud, seu dimissione festi tabernaculorum R. Meir Messisi, vel de Sissi, auctoris Wolfio ignoti.

COD. 62

MACHAZOR seu *judaicarum precum totius anni Compendium* ital. ritus cum *Psalmis* plerisque, *Sectionibus legis* ac *prophetarum* chaldaice, *Pirkè avòth*, *Constitutionibus ritualibus*, et R. Esopaei *Kaaràd chèsef*, vel *Scutella argentea*, aliisque, membr. rabb. fol. sec. XV.

Plura hic habentur, quae in aliis Machazorim sive mss. sive editis frustra inquiras. Incipit a carmine רשות לנשמה בשבת זכור *Dimissio animae in sabbato zachor* R. Mosis Coen melamed fil. Scemajae, de quo altum apud Wolfium silentium. Sequuntur versus quidam R. Salomonis de Parisiis, qui in initialibus litteris dant ejus nomen, postea R. Josephi Esopaei moralis libellus elegantissimus inscriptus קערת כסף *Scutella argentea*, saepe editus et in varias linguas translatus, cujus et alii plures apud nos extant codices. Eum excipit rythmica ad filium Samuelem, in cujus gratiam illud poema concinnaverat, epistola ejusdem auctoris Esopaei, quae incipit הלא כתבתי לך שלישים, cujus nullum nec in editionibus, nec in Wolfio aliisque bibliographis extat vestigium. Porro ex praefixo titulo *Dicit Joseph Esopaeus fil. Chanan filii Nathan fel. mem.* non modo discimus ejus esse, sed et progenitorum nomina quae hucusque ignorabantur. Occur-

runt deinde Constitutiones R. Gersom, Praecepta R. Jehudae Chasid, Jarchii Canticum de unitate, inter preces Ordo R. Eliae senioris, Vidui seu confessio R. Eleazaris de Wormatia, Gheulà seu oratio redemptionis R. Maimon, Gheulà alia Aben Ezrae, Minchà seu oratio vesp. R. Eleazaris bar Kalir, Targum sectionum biblicarum quae diebus festis leguntur, Pirkè avòth, Selicòth variae, inter quas R. Biniamini et R. Jehudae Levitae, Azaròth Eliae senioris et Sal. Parvi, Constitutiones variae rituales, Constitutio vel ordo mactationis et direptionis R. Jeh. fil. Bin. Rophè, Saharè hètz Chaiim, Instrumenta, vel chyrographa varia, anonyma poemata et ut puto inedita, iterum Esopaei Kaaràd, sed non integrum valdeque discrepans, fusum R. Eliae senioris Canticum de unitate, in septem hebd. dies divisum, minora alia poemata, inter quae unum de XIII fidei articulis, anon. Comm. Baraithae R. Ismael de XIII midòth, seu virtutibus. Ad calcem praeter mensium revolutiones extat facultas mactandi a R. Abr. fil. Mosis Coèn data Parmae an. 231, Chr. 1471, Nathanaeli Ghessi fil. David, item facultas altera data an. 234 a R. Azariel fil. Chaiim Tarabòth Abrahamo fil. David Galiko, cujus testimonium subditur seq. anni. Postremo subjicitur instrumentum Bononiae scriptum an. 5180, Chr. 1420.

Cod. 63

Machazor seu *Brev. precum* cum *Cantico*, *Ruth*, *Threnis*, *Sectionibus biblicis* et *Psalmis* occur., item *Pirhè avòth* cum *Comm.* Maimonidis, membr. rabb. in 4.° min. sec. XV.

Maimonidis Comm. in Pirkè avòth, quem in Machazorìm passim addi supra animadvertimus, est ex hebr. versione R. Samuelis Aben Tibbon. Occurrunt etiam ejusdem Maimonidis octo Perakìm seu capita, Azaròth R. Sal. Gaviròl et R. Eliae, Aphtaròth variae dierum festorum chaldaicae, Techinà R. Isaaci, et R. Jehudae Levitae Hymnus fusus ante purìm.

Cod. 64

R. Jacob ben Ascer *Arbà turìm* seu *IV Ordines*, membr. rabb. nitid. in fol. 2 col. et 4 voll. an. 1459.

Celeberrimi operis, quod rituales judaeorum leges ac constitutiones accuratissime expendit et illustrat, praestantissimus codex aureis litteris ornatibusque varii coloris stipatus, ad cujus calcem haec leguntur: » Confitebor Deo qui adjuvit me a

juventute mea usque hodie, duxitque me in viam bonam et rectam. Tempore quo consenui, anno אח״רי postquam inveteravi, seu 219, direxit ille confortavitque robur meum .... Rupi meae dabo laudem, quae dignum fecit me, ut scriberem hos IV ordines vol. uno hic Ferrariae, perfecique mense tamuz ... Hoc autem est nomen meum Isaac Zarak fil. R. Zarachiae f. m. ».

COD. 65

R. ABR. CHAZEKUNI *Comment.* in *Samàk*, seu *Librum parvum praeceptorum* R. Isaaci de Korbeil, membr. rabb. 4.° sec. XIV.

Ineditus, Wolfioque ignotus. Ad calcem praefationis per rascè tevòth, seu initiales verborum litteras nomen suum pandit auctor, rursusque in versibus gratiarum actionis, quibus opus claudit. Utrobique priores cognominis litterae ח״זק separantur, ac lineolis supra insigniuntur, verisimilius ad annum innuendum 115 min. supp., Chr. 1355, quo Commentarium absolvit. Quod si esset, haberemus etiam tempus, quo auctor floruerit, Wolfio et ipsum ignotum.

COD. 66

1.° R. MOSIS KIMCHÌ *Maalàch scèvilè adàhad*, seu *Incessus semitarum scientiae*.

2.° ABEN EZRAE תחבולות *Tachbulòth* seu *Solertiae* membr. rabb. in 12. sec. XV.

Inscribitur primum opus ס׳ דרכי לשון הקדש *Liber viarum linguae sanctae*, ut in editione Augustana et Hagenoensi. Nec diversa ab eo puto illa למודי הדקדוק *Grammatica praecepta*, quae in Oppenheimeri bibliothèca mss. extare monet Wolfius T. III p. 813 et ut diversa recènset. Quae succedunt minori flaviorique charactere Aben Ezrae solertiae vel astutiae, factum quoddam complectuntur Aben Ezrae, in quo ingeniose quindecim discipulos liberavit. Etenim quum aliquando iter per mare institueret cum quindecim discipulis ac totidem idiotis, praecepissetque navis gubernator ob subortam tempestatem imminensque subversionis periculum hominum partem, quibus onerabatur, in mare dejici, Aben Ezra primum proposuit ut nonus quisque, in quem sors caderet, projiceretur, deinde vero ita suos triginta disposuit, ut sors seu nonus numerus perpetuo caderet in idiotas. Hi ergo projecti, discipuli omnes salvati. Breviter hic dispositionis hujus ingeniosae modus et ratio exponitur. Sub initium dicuntur hausta haec ex libro memoriali gestorum Aben Ezrae, edita vero sunt

ad calc. *Darchè nòham* R. Mosis ben Chavìv Venetae editionis an. 1546.

Cod. 67

Siddur tefiloth seu *Ordo jud. precum* cum *Psalmis* occurrentibus, membr. rabb. in 16. sec. XV.

Minores judaicarum precum libri mss., qui siddurim dicuntur, magnaque apud nos copia extant, non exiguae nobis utilitatis sunt, tum ad conferendos plures quos continent, psalmos, aliaque siquae sunt biblica excerpta, tum ad dignoscenda integra antichristiana loca ac preces, quae in editionibus vel omissae sunt, vel aliter expressae. De binis loquimur celeberrimis formulis, bircàd aminìm, et alènu lescabbèach, de quibus pluribus egerunt, Wagenseilius in *Telis igneis* p. 218, Wulferus in notis ad *Theriacam jud.* p. 309 et 327, et Wolfius *Bibl. heb.* T. II p. 1462 et seqq. Christum ac christianos in iis impeti, ex ms. potissimum Norimbergensi ac Rascio, demonstrat prae ceteris Wulferus, constatque ex binis nostris codic., 159 et 1033. Sed eae in plerisque mss. abrasae sunt vel deletae, in aliis quaedam tantum verba propius nos attingentia. In hoc nostro Siddùr qui primus ordine occurrit, non modo apostatarum nomen in bircàd aminìm in aliud מלשינים detractorum mutatum est, sed et omissa penitus verba de regno superbo, seu romano, cito eradicando. Contra integra et intacta prorsus extat oratio alènu, seu cum verbis להבל וריק *vanitati et futilitati, et* אל אל. לא יושיע *ad Deum qui non salvat*, aperte expressis. At vero in hodiernis editis judaeorum liturgiis verba haec vel omissa prorsus sunt vel immutata, immo et peculiares ac solemnes benedictionum formulae in publicis synagogis prudentissime ac merito christianorum principum incolumitati dedicatae.

Cod. 68

1.° R. Levi Todros *Comment.* cabbalisticus *in Pentateuchum* cum *Scholiis* marg.

2.° Ejusdem *Comment. in Psalmum Coeli enarrant gloriam Dei*.

3.° Anon. *Expositio visionis Ezechielis et Isaiae*.

4.° Anonymi *De lucernis Zachariae*.

5.° Anonymi סוד גן עדן *Sod gàn èden* seu *Arcanum horti voluptatis*.

6.° Anon. *Expositio operis mercavà et berescith*.

7.° Anonymi *Quaesita varia* ac *Responsa*.

8.° Anonymi Liber הפאר *Apeèr, decoris*, seu cabbal.

tractatus *De totefòth*, memb. rabb. in 4.° sec. XIV.

Inedita omnia. Primus Comm. in Pent. in indice, qui libro subjicitur, dicitur explanare Nachmanidis mysteria, et anonymus esse. Non temere tamen conjicitur ad eundem Todrosium pertinere, ad quem certo pertinet sequens Commentarius in Psalmum, non modo quia hujus epigraphe ad utrumque commentarium potest referri, sed potissimum quia utrumque Todrosius composuit. Ejus Comm. cabbalisticus in Pent. cum glossis marginalibus, qualis reapse hic noster est, ms. servatur Parisiis in bibliotheca Oratoriana cod. 2330, teste Le Longio *Bibliotheca sacra* p. 985 et Wolfio T. III p. 278. Commentarius vero in Psal. XIX nostri auctoris sub titulo שערי הרזים *Portae reconditorum* ms. extat etiam in Vaticana, teste Bartoloccio apud Wolf. T. I pag. 395. Sane in nostro codice ad calc. hujus Comm. in Psal. XIX per rascè tevòth manifeste expressum habetur auctoris nomen in duobus hisce versibus

טועם דבש רזי וסוד ספרי
הלוחמים לחמי וצוף יערי .

Quod et ipse codicis descriptor rectissime conjectatus est, subdens נר' לי כי הוא טודרוס הלוי *Videtur mihi, quod sit Todros Levita*. Num cetera scripta, cabbalistica omnia, ad eum pertineant, definire non audeo. Quae proxime sequuntur, non videntur diversa ab iis quae recenset Wolfius T. II p. 1382 ad num. 504. Sòd gàn eden memorant etiam Sabtaeus et R. Jechiel in *Seder adoròth* fol. 173 b, sed quarti opusculi Ratio vel sensus lucernarum Zachariae, atque octavi de totephòth nulla apud eos vestigia, diversumque est postremum hoc a libro hujus tituli R. Scem Tov de Soria, quem continet cod. Vatic. 235, qui, ut ex initio constat, idem est cum Chèder scem tov R. Abrahami de Colonia. Constat codex fol. 96.

COD. 69

R. JEHUDAE CORSANI vel CORASANI fil. Josephi ארון עדות *Aròn edùd*, *Arca foederis*, chart. rabb. 4.° sec. XVI.

De inedito hoc opere, cujus bina alia exempla sistunt codices nostri 1176 et 1284, multa Wolfius T. III p. 313 et IV p. 831 ex litteris Philippi Ouzeel qui illud possidebat, et Gagnerii qui evolverat in Bodlejana. At vero tum in indicatis locis, tum T. I p. 432 mendosum Barsani cognomen emendandum est, ut et in Bartoloccio ac *Catal.* Vatic. T. I p. 66, ubi ineditus ejus Comm. in Job profertur a neophito Paulo

Eustachio conscriptus. Constantissime namque et in ms. nostro et in Bodlejano per כ appellatur כרמאני. Brevius nos de auctore et libro egimus nuper in *Bibliotheca jud. auctorum* T. I p. 96, monentes eum constare xxiI capitibus, et de mundi creatione, de sphaeris, planetis, stellis, eclipsibus, de prophetia ejusque speciebus, de Adamo et Eva, serpente, paradiso terrestri, de providentia, de poenis ac malis justorum et impiorum, de Jobo ejusque disputatione et libro agere aliisque argumentis, quae partim ab Uri declarantur ad eum codicem bibl. Bodlej., qui est 347 novi ejus *Catalogi*, plenius vero et uberius ab auctore in praefatione, ubi singula capita recensentur. Illud unum notandum in IV capite agi inter cetera de Dei nominibus et angelorum, in V de opere mercavà seu currus Ezechielis, in VI de visione rotarum, de aeternitate mundi, de visione Zachariae, in xI de praestantia prophetiae Mosis, in XIV sisti commentarium libri Jetzirà, in xviiI ac sequentibus exponi librum Jobi, in xxiI fundamentales religionis articulos. In iis quae ex eadem praefatione profert Wolfius postremo loco, errata quaedam exciderunt, quae ex mss. codicib. sunt corrigenda.

Cod. 70

R. Levi Gersonidis *Commentarius in librum Job*, chart. charactere rabbinico in 4.° sec. XV.

Ad calcem: » Fuitque finis hujus Commentarii feria iI die xxiiI mensis tebeth anni 5086 sexti millenarii. Deo soli sit laus qui adjuvit nos in multitudine misericordiarum suarum. Sit nomen ejus benedictum et exaltatum super omni benedictione et laude. Amen ». Annus hic, qui procul dubio ad libri compositionem est referendus, legitur quoque ad calcem codicis Sorbonici n.° 14, suspicorque in Sorbonico altero n.° 12 a Wolfio relato T. iiI p. 648 pro 5089 eundem compositionis annum 5086 esse legendum. Ex quorum codicum epigraphis et Gersonidis aetate protracta usque ad an. 1370 patet annum 5047 tertii codicis Sorbonici xxiiI mendosum esse. Patet et subscriptionem codicis Schultingiani n.° 18, ubi legitur idem annus 5086, Christi 1326, solum tempus indicare commentarii ab auctore elaborati, nunquam, quod perperam conjicit Wolfius cit. l. p. 649, ejus autographum. Nisi tot multiplicanda sint mss. auctoris autographa, quot sunt codices annum illum exhibentes.

Cod. 71

Pirke avoth seu *Capitula patrum* cum *Comm. Maimonidis* ejusque *praefat.*, memb. rabb. in 4.° in. sec. xv.

Magno numero in hac nostra collectione extant codices miscnici hujus tractatus, qui antiquorum júdaeorum ethicam sistit, et Maimonidis in eum Commentarii sive seorsim conscripti, sive in precum Breviariis.

Cod. 72

1.° R. Sal. Jarchì, vulgo Rascì, *Comm. Pentateuchi*.

2.° *Canticum canticorum*, membr. rabb. in 4.° an. 1346.

Sub finem Rasciani Commentarii legitur: » Explicit Commentarius legis ec. . . . Absolvi illum die 11 mensis nisan an. 5106 ab orbe condito in civitate Guardiae, quae est in confinibus Lusitaniae. Scriba autem est minimus ex discipulis discipulorum Joseph fil. sapientis R. Isaaci דאלויאה Daloya fil. sapientis et sancti R. Josephi fel. mem. Daloya vel Dalvia ». Sequitur Canticum canticorum, quod quum antea non animadverterim, in Catalogo mss. meorum codicum sacri textus editaque eorum collatione est omissum, sed in *Scholiis criticis* vel supplementis anno 1798 editis deinceps suppletum.

Cod. 73

R. Ascer fil. Jechiel Opus dictum אשרי *Ascerì*, vel *Piskè*, idest *talmudicae Decisiones* cum ejusdem *Alacoth* seu *constitutionibus*, nec non *scholiis* et emendationibus aliorum auctorum, memb. rabb. fol. maj. an. 1353.

Opus hoc insigne summaeque apud judaeos auctoritatis recensens Wolfius T. I p. 226, ait esse Kitzùr seu Compendium decisionum, sive theses ac conclusiones universales, quae tractatibus aliquot talmudicis in Talmude babylonico subjiciuntur, et in compendio ea exhibent, quae in ipsa Gemara, Rascì ac Tosephòth fusius tractantur. Confudit videlicet integrum opus cum ejus Compendio, quod sive in Talmude ipso, sive seorsim CPoli anno 1520 sub eo titulo קצור פסקי הראש editum est. Quod compendium plane diversissimum, quum non ab Ascere nostro, sed ab ejus filio Jacobo elaboratum sit, ut aperte docet in fronte CPolitana editio ac confirmat Sabtaeus, Wolfio ipso id non dissimulante T. III p. 140, qui ex Oppenheimeri exemplari illud didicerat, filio ipsi tribuendum propterea est, non patri, ut constantissime fecit Wolfius. Integrae patris Decisiones nunquam lucem

viderunt, rarioresque ac pretiosi habendi sunt codices, qui illas continent. In nostro hoc occurrunt Tractatus Bavà kamà, Bavà metzià, Bavà batrà, Sahedrin, Scevuòth, Maccòth, Cholin, Becoròth, quibus accedunt ad calcem Ilcòth, seu Constitutiones Sèfer torà, Mezuzà, Tephilin, Tzitzìth, Tomeàd coanìm, Chalà seu de placenta, Chelaim seu de Heterrogeneis, et Horlà, idest praeputii arborum. Asceri textui crebra adnectuntur scholia ac correctiones minori charactere exaratae, ex variis auctoribus, potissimum vero ex רר"ח, et Or zarùah R. Isaaci Viennensis depromptae. Sub finem: » Ego Meir scriba scripsi hunc librum in gratiam praeceptoris mei R. Israel Zusla, qui vivat et mereatur meditari in eo, ipse et semen ejus, et semen seminis ejus usque in finem omnium generationum. Sic fiat. Absolvique illum feria v anno 113 vI millenarii, die iI mensis av ». Auctorem nostrum ex Germania, ubi rabbini munere in patria synagoga Rothenburgensi fungebatur, Toletum in Hispaniam fugisse anno 5066, Ch. 1306, notat Wolfius T. I cit. l., huncque annum legit reapse *Juchasìn* fol. 133, eumque secutus auctor *Korè adoroth* fol. 23 b, et Azulai *Scem aghedolìm* P. I fol. 14 b. Sed R. Isaac Israelita, Asceri coaevus ac discipulus, qui Toleti paullo post, anno videlicet 1310, librum suum *Jesod olàm* in ejus gratiam et honorem conscripsit, illique dicavit, parte IV hujus operis cap. XVIII habet annum 5065, Ch. 1305, idque habet tum cod. meus 108 hujus libri accuratissimus, tum codex Bodlejanus 430, ut patet ex Uri *Catalogo*. Hic ergo annus restituendus, qui et falsi ea revincit, quae ad prioris anni emendationem ex Aboabi *Nomologia* profert Wolfius T. III p. 139. » Toletum fuga se recepit, non anno 1306, quod pag. 226 cum *Scalscèled* pronunciavimus, sed circa annum 1300, ceu Immanuel Aboab in *Nomologia* sua p. 284 evidenter probat ex dedicatione libri *Jesod olàm* a R. Isaaco Israelita ipsi facta, quemadmodum et jam anno 1304 doctor et rabbinus Toletanus fuit ». Cum *Juchasìn* scribere primo debebat Wolfius, non cum *Scalscèled*, qui annum fugae non definit, et in mendosi illius anni praesidium perperam assumitur. Sed falsum est Aboabum eum annum probare ex dedicatione Jesod olàm, nec si id quidem voluisset, evidenter unquam probasset, quum dedicatio ejus libri, ut Aboabus ipse fatetur, ac demonstrat

titulus codicis nostri 108, nonnisi anno orbis conditi 5070 facta sit, Christi 1310. Quod probat vel probare nititur Aboab, illud est Ascerum nostrum jam anno 5064 Toleti extitisse, idque ex decreto ab Hispanis rabbinis eo anno emanato et a nostro auctore subscripto, quo philosophiae exterisque disciplinis vacare ante annum xxv prohibebantur judaei. Hoc porro decretum si in anno error non cubat, et ejus anni reapse est (nec enim illud profert Aboabus, nec unde acceperit, monet), pro certo tenendum est nonnisi anno sequenti a Toletano nostro rabbino potuisse subscribi, ac fuisse conscriptum. Etenim praeter testimonium R. Isaaci Israelitae gravissimum et ex duobus mss. codicibus confirmatum, constat ex facto ipso, quod fugae occasionem dedit, ante annum 5065 hanc non contigisse. Factum enim et obitus R. Meir Rothenburgensis nonnisi eo anno accidit. V. *Scalsceled* fol. 30, *Juchasìn* fol. 133, Basnage *Histoire des Juifs* T. XIV p. 661, ac Wolf. ipsum T. I p. 754. Ac Ganzium consulens postquam superiora scripseram, video decretum illud nonnisi posteriore hoc anno 65 sexti millenarii, quo Ascer fugit, fuisse exaratum, producto Arisbae, seu R. Salomonis ben Adèred testimonio in Respons. n.° 415. V. *Tzemach david* fol. 41 ad eum annum. Hinc in nupera *Bibliotheca* nostra *judaicorum auctorum* T. I p. 57 pro anno 1300, qui nostri auctoris fugae assignatur, lege 1305.

COD. 74

R. MOSIS COEN *Ezer emunà*, seu *Munimen fidei*, chart. ineditus et antichristianus rabbin. in 4.° min. sub fin. sec. XVI, vel initium elapsi.

Vide quae de auctore et opere diximus ad cod. 28. Ad calcem: *Explicit disputatio ex XXIV libris sacris*. Brevius ergo exemplar, in quo non describuntur quae postremo loco de Agadoth, seu Historiis talmudicis disputat auctor. Plenissimum librum habes infra in cod. 121.

COD. 75

ANONYMI *Liber* כבוד אלהים *Chevòd elohìm, gloriae Dei*. Extat ad calc. R. Scem Tov Sprot libri *Even bòchen sectio XI* et *Evangelii* Matthaei *priora capita* heb. versa, chart. rabb. 8.° an. 1691.

Latet auctor ineditì hujus operis, quod disputationem sistit adversus christianam religionem ac judaicae apologiam. Latet et opus ipsum omnes bibliographos, apud quos qui referuntur hujus tituli libri diversissimi sunt

argumenti. Titulus: » Liber chevod elohìm seu gloriae Dei. Laudetur nomen ejus in secula seculorum. Hic Venetiis anno ומאיבי אושעה et ab inimicis meis salvabor, seu 451. Constat capitibus xviiI, quorum argumenta breviter exposuimus in *Biblioth. judaica antichristiana* p. 25, ubi de eo egimus, ac notavimus non tam ex testimoniis Mosis ac prophetarum ea desumi, quam ex Evangeliis nostris ac scriptoribus N. T. Protrahitur opus usq. ad pag. 160, sed non absolvitur, eique subjicitur fragm. libri *Even bòchen* R. Scem Tov filii Isaaci Sprot ejusdem argumenti, quod sect. xI complectitur a cap. viiI ad xxiI dimidium. Deinde sequuntur priora capita *Evang.* Matthaei heb. versa, ex eodem libro petita, qui in nonnullis codicibus illud exhibet. V. eandem *Bibl. antichr.* p. 104.

Cod. 76

R. Sal. Jarchì *Comm. in Proph. priores ac posteriores*, membr. rabb. 4.° sec. xiiI.

Ab in. ac fine post. manu suppletus. Antiquus codicis titulus a quodam Menachem fil. Sal. ejus possessore I fol. appositus fert hunc Comm. esse *R. Josephi Karae*, פירוש נביאים לר' יוסף קרא. Sed posterior manus Karae nomine deleto supplevit לרבנו שלמה R. *Salomonis*. Post Malachiam expositio subiicitur quorumdam versuum ejusdem prophetae R. Chananaelis, quae in R. Salomone non reperitur, incipiens a versu 11 cap. iiI, et integram occupans postremam codicis paginam. At vero iterum ad calcem in tribus epigraphis, seu libri contractibus an. 90, 92, 151 min. supp., Ch. 1330, 1332, 1391 constantissime tribuitur opus Josepho Karae. Ac collatione facta congruit quidem Comm. cum Jarchiano, etiam conceptis verbis, ita tamen ut crebrae adsint discrepantiae, saepeque alia verba pro aliis usurpentur, modo alia addantur, modo deficiant. Quamquam porro quod in nostro codice fit, et novum plane sit et singularissimum, non desunt, quod miror, alii codices qui eum confirment, nec desunt qui ob id contendant Comm. in Prophetas, qui Rascii nomen praesefert, ejus non esse. Id eruo ex Azulai *Scèm aghedolìm* P. iI fol. 76 b. » Audio, inquit is, esse qui scripserit Comm. in Prophetas, qui apud nos extat, Rascio attributum, ejus non esse, idque probare ex ms. exemplari a se viso, in quo tribuebatur R. Josepho Karae ». Quod ex communi potissimum opinione majorumque auctoritate rabbinus ille confutat, meliusque con-

futasset, si ipsos Karae codices novisset, et habuisset prae manibus, quos nos habemus. Nam praeter hunc alius apud nos extat Karae Commentarii in Prophetas codex, videlicet 255, qui rem omnem dirimit. Quamquam enim multa is habeat cum Rascio communia, ab eo tamen abest longissime, ac praeter certas inscriptiones quas exhibet, hac ipsa dissensione prodit verum Karae textum a Rasciano diversum. Conferantur quae tum de Commentario, tum de auctore ipso, Wolfio ignotissimo ac per summum anachronismum cum recentiori R. Joseph Karo ab eo confuso, dicentur infra ad eum codicem, quaeque de iis diximus nuperrime in *Dictionario historico jud. auctorum* T. I p. 181.

Cod. 77

R. David Kimchì *Comm. in Prophetas priores*, seu *Josue, Judices, libros Samuelis et Regum*, membr. rabb. in 4.° maj. sec. XV.

Magna est Kimchii ejusque operum tum apud judaeos, tum apud christianos celebritas, singularis praestantia et usus sive in litterali sacrorum librorum interpretatione, sive in sacra critica constituendaque vera sacri textus lectione, sive in controversiis antijudaicis ac judaeorum objectis dignoscendis, sive demum in grammaticis institutionibus linguae sanctae, figendaque ejus natura et indole, verisque eruendis hebr. vocum significationibus, in quo Kimchium tamquam unicum auctorem ac ducem utraque huc usque natio agnovit. Hinc in colligendis mss. ejus codicibus sedulam operam navavimus, et tanta quidem felicitate, ut eorum septem ac quinquaginta exigua haec nostra bibliotheca glorietur. Qui eo pretiosiores adhuc habendi quo plenior et integrior in iis exhibetur Kimchianus textus, in editionibus omnibus, paucas si excipis antiquas, quas possidemus, valde mutilatus, etsi saepe inquisitorum studio quae adversus christianam religionem disputantur, ea in mss. ipsis sint vel deleta, vel abrasa. De Kimchii operibus, mss. et editis, fuse Wolfius in I, III ac IV vol. sub n.° 495, nosque ipsi in nuperr. *Dictionario hist. jud. auctorum* T. I p. 187. Agunt et de iis judaeorum bibliographi, sed leviter admodum et imperfecte. In nostro hoc codice praeter varias lectiones, quas aliquando notat, exhibet post Josuam epigraphem quamdam de ejus auctore et annorum ambitu, quam in aliis codicibus frustra requiras.

Cod. 78

R. David Kimchì *Comm. in Ezechielem*, membr. rabb. in 4.° an. 1482.

Accurate scriptus. Ad calcem: » Mei manu absolutus est hic Comm. libri Ezechielis, absolvique illum in gr. Samuelis Maffolae fer. IV die XXVI mensis sivan an. 242 sexti millenarii juxta supputationem, qua nos utimur hic Mantuae ... dicit minimus Isaias fil. Jacobi quem Deus tueatur, de Maseran fil. R. Isaiae de Jerona fel. mem. »

Cod. 79

R. David Kimchì *Comm. in XII Prophetas minores*, membr. rabb. in 4.° an. 1482.

Nitidus et accuratus codex, celebris Peritzolii vel Farissolii autographus, ut ex subjecta constat epigraphe. » Ego Abraham Farissol fil. R. Mardochaei Farissol quem Deus tueatur, absolvi hunc Comm. R. Davidis Kimchì, cujus requies sit in paradiso, in XII Prophetas die XXVIII mensis adar secundi anno 242 sexti millenarii hic Sirmini in regione Mantuana in gratiam cl. Samuelis Maffolae, qui videat semen, producatque dies suos amen ».

Cod. 80

R. Josè ben Chelpeta *Sèder olàm rabbà*, seu *Chronicon mundi majus*, memb. rabbin. in 4.° in. sec. XV.

Per Obadiam fil. Amathiae, cujus nomen diserte ad calcem exprimitur. Titul. מגלת סדר עולם *Traditio chronici mundi*, majoris quidem, ut ex collatione patet. De eo ejusque auctore plura Wolfius T. I p. 492 et III p. 376. Binos alios libri codices vide infra ad n. 117 et 541, in quo postremo certissime in titulo ac fine R. Josè tribuitur.

Cod. 81

R. Menachem Rekanati *Comm. in Pentateuch.*, bombic. semirabb. in fol. an. 1465.

In oriente scriptus. Titulus: » Commentarius legis totius per viam cabbalae profundae doctoris magni rabbènu Mosis fel. m. », videlicet Nachmanidis, non Maimonidis, ut perperam Buxtorfius et Plantavitius interpretati sunt. Quisque liber suam habet epigraphem, sed binas tantum pleniores nos sistimus, Exodi et Deuter. Prior his verbis concepta: » Absolutus est liber Exodi auxilio creatoris. Scriptus est liber hic nomine excell. Mosis fil. Mardochaei senioris fil. David senioris per manum minimi et pauperis servi Josephi Coèn fil. Jescuae fil. Zedekiae fel. m. » Posterior: » Finitus est hic liber opitulante illo qui dat fesso

robur, et cui non sunt vires, robur addit, feria I quae est dies xII mensis chislev .... et scriptus anno 1777 aerae contractuum nomine excell. Mosis... lucernae occidentis, qui mereatur viderè adventum Messiae et Eliae prophetae, fil. Mardochaei ». Et infra: » Descripsit autem illum minimus servus Joseph fil. Jèscuae fil. Zidkae noti in Even ahèzer ».

Cod. 82

R. Samuelis Motot *Com. in Aben Esram in Pent.* memb. rabbin. in 4.° ex. sec. xiv.

Nullus praefigitur titulus, sed editiones nos edocent inscribi מגלת סתרים *Volumen occultorum*. V. Wolfium T. I p. 1111, et III p. 1113. Binos alios hujus operis codices habes infra sub n.° 307 et 326. Ad calcem conspiciuntur notae an. 172, 176, Ch. 1412, 1416.

Cod. 83

R. Saadiae ספר אמונות *Liber emunòth* seu *articulorum fidei* a R. Jehuda fil. Saul aben Tibbon hebr. versus, bomb. rabb. in 4.° sec. xiv vel initio xv.

Praecedit titulus » Liber emunòth, seu fidei articulorum et scientiarum, quem composuit magnus doctor noster Saadias fel. mem. lingua arabica, in heb. vero transtulit Jehudas fil. Saul fel. mem. notus sub nomine ben Tibbon Granatensis Hispanus », cujus et fusa praefatio sequitur. Ad calcem » Explicit liber emunòth, quem composuit gaòn R. Saadias fel. mem. an. 633 arabice, hebraice autem vertit sapiens magnus R. Jehudà fil. Saul f. m. cognominatus aben Tibbon Granatensis hispanus an. 946 ». Haec eadem tum in fronte, tum ad calcem leguntur in editione CPolitana an. 1562 qua utor. Leguntur et in codice altero nostro hujus libri 417. Hinc in editione Amst. an. 1648, hebraeorum aera ad nostram translata, in latino titulo dicitur scriptus liber anno 873, hebr. versus an. 1186. In eo tamen quod subditur, Thessalonicae editum esse ante annos 85, corrige CPoli. Nec dubito quin producta illa binorum codicum et editionum aera compositionis in aliis etiam codicibus reperiatur. At vero quomodo cohaeret aera haec cum iis, quae vulgo a bibliographis hebraeis et christianis feruntur de Saadiae aetate et obitu? Nam R. Abr. ben Dior in *Libro kabbalae* fol. 32 edit. Venetae, Jachia in *Scalscèled* fol. 38, Aboab in *Nomologia* p. 269, R. David Conforti in *Korè adoròth* fol. 4, aliique judaeorum scriptores summa consensione

tradunt obiisse anno 4702, quum aetatis esset annorum 50, eorumque fidem sequuti sunt christiani omnes. In Advocati *Diction. hist.* quod dissentit, bini hic errores typographici exciderunt, 943 pro 942, et 30 pro 50, quorum primum *Dictionarium* aliud *par une société de gens de lettres* in IX voll. distributum retinuit, alterum emendavit. Qui potuit Saadias diem obire supremum anno 702 quarti millenarii aetatis annorum 50, si a sola libri compositione, si ea quidem referatur ad an. 633, anni effluxerant novem et sexaginta? Tanta est autem operis praestantia et doctrina, ut juvenili aetate vix conjici possit elucubratum. Quaenam ergo ex duabus aeris erit in dubium vocanda, quarum altera codicum et editionum consensione confirmatur, altera historicorum?

Ut rem dirimerem, antiquiores ipsos historicos, qui de Saadia ejusque aetate agebant, in fonte mihi esse adeundos putavi, ac potissimum R. Scerirà Gaòn scriptorem tantae auctoritatis, fidei, antiquitatis, ut major expectari non possit. Erat enim et academiae, et nationis princeps, et Saadiae aetati non modo proximissimus, sed et ejus coaevus, quippe qui evectus est ad principatum anno 4728, videlicet vix praeterlapsis annis 26 a Saadiae obitu. Gravissimus hic scriptor in sua *Tescuvà*, seu fusa epistola responsionis, quae legitur in *Juchasìn* fol. 119 edit. Cracoviensis, testatur Saadiam a Davide Nassì evocatum fuisse, et Machasìae, seu Sorae academiae praefectum inauguratum mense ijar anno 239, videlicet secundi millenarii graecorum, quorum aera ipse utitur. Si ex anno 1239 graecorum detrahis annos 312, quibus Seleucidarum aera nostram superat, erit annus Christi 927. Congruit annus hic cum anno mundi 4687, quo inauguratum fuisse referunt communiter alii judaeorum chronologi, inter quos Ephodaeus cap. VIII inediti *Mahasseh ephòd*. Hoc etiam anno floruisse auctores nostri plerique statuunt. Subdit Scerirà duobus tantum annis Saadiam illam academiam rexisse, deinceps vero orta contentione inter eum et Nassì ob hujus metum delituisse per aliquot annos, locum ejus seu praefecturam tenuisse annis duodecim R. Josephum, qui ei fuerat suffectus, ac tandem occubuisse anno 253. Ita corrigendum pro anno 213 aperte mendoso, qui in utramque qua utor, editionem, CPolitanam et Cracoviensem irrepsit, ut ex ipsa

supputatione manifestissime patet. Etenim si annis 239 binos addis ac duodecim, fit annus 253, quem et ea, quae Scerirà subdit, confirmant, occubuisse in diebus gaòn patris sui, qui, filio ipso teste, ad principatus honorem assumptus est anno 250 et decessit anno 254. Ac 253 recte habet ms. codex hujus libri meus 117, postquam haec scripseram, a me collatus, qui praeterea pro praecedentibus annis XII, eos ad Saadiam ipsum referens simulque cum duobus componens, legit *anni vero R. Saadiae XIV*, idest totius praefecturae sive ab eo, sive a R. Josepho ejus nomine, eoque adhuc vivente administratae. Jam vero annus ille graecorum 1253, detractis 312, nostro respondet 941, orbis conditi 4702, sed huic quidem incepto, ita ut ad eruendam aeram nostram 239 tantum anni sint addendi, non 240, ut ab auctoribus nostris factum est Saadiae mortem plerumque referentibus ad an. Chr. 942.

Qua vero aetate Saadias decesserit, tacet Scerirà, eaque ex alio scriptore hauritur, non ejusdem quidem vetustatis, sed tamen eximiae, quum scripserit anno mundi 4921, Chr. 1161, qui sua sane ex suorum fide ac traditione hausit, quod et libri titulus indicat, non tamen ex Scerirà, ut patet ex relationis discrimine. Est is R. Abr. ben Dior, qui in commemorato superius *Kabbalae* vel *Traditionis* libro tradit Saadìam, postquam duobus annis academiae praefuit, ex metu annos circiter septem delituisse, composuisse omnes libros suos dum delituit, pace facta cum Nassì non rediisse ad pristinam dignitatem, sed obiisse an. 4702, aetatis annorum circiter 50. Eadem omnino habet et codex meus 117 hujus libri. Qui sequuti sunt scriptores, deleto circiter, scribunt absolute 50. Alii, Saadiae aetate praeterita, singulos libros ab eo fuisse intra illud septennium elaboratos, eoque anno 702 fato functum confirmant, ex quibus est R. Isaac Israelita in *Jesòd olàm* in ms. meo codice 108 P. IV cap. XVIII. Bina hic habes, eaque invicta testimonia, quibus refellas priorem illam codicum et editionum aeram, alterum quidem aetatis, quod diximus, alterum temporis compositionis. Etenim si libros suos omnes composuit Saadias, dum delituit, illos ergo composuit post annum 4689, quo coactus est fugere ac delitescere. Nota dici omnes, כל ספריו, adeoque librum Emunòth non posse excludi, et auctor *Scalscèled*, qui sin-

gulos enumerat illorum septem annorum spatio editos, illum inter ceteros reapse recenset. Quod et liber ipse comprobat, qui hominem redolet, provectae doctrinae et aetatis. Tantum ergo abest, ut liber Emunòth compositus sit anno 633, ut ferunt illorum codicum et editionum epigraphae, ut nonnisi post an. 690 id factum sit. Sed undenam constans ille error repetendus est, et quomodo in plura ac varia exempla dimanavit? Nam et mss. ipsa editorum patet non fuisse immunia. Ego equidem opinor primum scriptum anno 693, deinde vero ab imperito aliquo librario, qui tzade cum lamed confudit, 633 factum fuisse, et ex mendoso ejus exemplari in alia propagatum. Cui errori ac confusioni occasionem procul dubio dedit maxima ipsa binarum illarum litterarum in rabbinico charactere, praesertim manu exarato, affinitas; si enim supernam lineolam, quae e tzade protrahitur, paullo sinistrorsum inflectas, habes ipsissimum lamed. Obiter animadverte utrumque eum auctorem, Scerirà et ben Dior, constanter adfirmare ad suam praefecturam Saadiam non rediisse, sed eam tenuisse R. Josephum. Emendandus ergo Carpzovius, qui tandem principi suo conciliatum et in rectoratum Soranum restitutum scribit in *Critica sacra* p. 641.

Jam haec disputaveram, quod Vaticanum *Catalogum* evolvens, binos in eo codices reperio diserte tradentes in suis epigraphis anno 653, Ch. 893 arabice Saadiam librum hunc composuisse. Sunt ii 255 et 270 ex Palatinis. Vaticanus autem alter 266 habet, teste *Catal.* T. I p. 229, composuisse an. 4708, Ch. 948, quam numericam notam tum ex obitu Saadiae ad an. 702 communiter amandato, tum ex binis priorum codicum subscriptionibus, de quarum veritate minime dubitant, interpolatam esse evincunt doctissimi Assemani. At vero quomodo semel constituto eo obitus anno, de quo dubitari nequit, veras priores illas epigraphes habere ii potuerunt, aut iis relatis, subdere, ut subdunt ad primum codicem p. 218, » Saadiam vita excessisse Alexandriae anno Christi 943, annum aetatis agentem quinquagesimum »? Ergo ne puer Saadias unius anni vel paucorum mensium librum hunc composuit? Mirum absurdum hoc, quod aperte consequitur, tantos viros non vidisse. Etenim si annos aetatis ab anno emortuali detrahis, superest eum natum esse ipsissimo anno 893, quo a men-

dosis illis epigraphis dicitur opus concinnasse. In eo etiam corrigendus est Wolfius, quod de libro hoc agens T. I p. 933, et III pag. 859, ejus titulum utrobique in singulari efferat ס׳ האמונה, quum codices omnes, et editiones, ac non modo Sabtaeus ab ipso observatus, sed auctores omnes judaei, ac christiani saltem plerique rectissime in plurali exprimant. Emendandum quoque interpretis nomen a Wolfio designatum p. 933 in R. Jehuda fil. Saulis, non Samuelis, nec CPolitana nostri libri editio apud Jos. ben Isaac Jabetz prodiit, ut ipse conscribit T. III p. 859, sed apud Salomonem fil. Isaaci fil. Josephi Jabetz. Tandem solam hebr. versionem libri Emunòth apud nos superesse male notat Simonius *Hist. crit. du V. T.* p. 544. Superest et primigenius contextus arabicus, quem prelo paraverat cum duplici versione, hebraica ac latina, Gagnerius, cujusque specimen Oxonii reapse edidit an. 1717. Conferantur quae de hoc opere et auctore, reliquisque ejus scriptis nuper commentati sumus in *Dictionario hist. judaicorum auctorum* T. II p. 107.

Cod. 84

R. Peripoth Duran אגרת אל תהי כאבותיך *Epistola Al theì caavodècha, Ne sis sicut patres tui*, chartac. charactere quadr. recentiori in 8.°

Sat celebris antichristiana epistola, quam nescio cur Toledòth ipso jescù nequiorem statuat Meelfuhrerus *De fatis erudit. orient.* cap. I 6. Plura de ea Wolfius T. I p. 992, et III pag. 950, qui et varia mss. ejus exempla in publicis bibliothecis extantia producit, monens se eam in Oppenheimeriana editam vidisse Sabionetae an. 314, Chr. 1554. Quod profecto Vaticani Catalogi auctores, qui, de epistola hac scribentes T. I pag. 58, cuncta ex Wolfio derivant, non animadverterunt, qui notant nondum typis esse vulgatam. Multa et nos de ea ejusque editione extremae raritatis, quam possidemus, male a Wolfio ad illam urbem relata, diximus in *Annal. hebr. typ. Sabionetae* p. 17, quibus illud unum addi velim, conjecturam meam de CPoli loco impressionis modo luculenter confirmari ab edito *Catalogo* bibl. Oppenheimerianae fol. 2, ubi haec et altera ejusdem argumenti epistola simul compactae dicuntur esse ex vetusta editione CPolitana. Falsissimum ergo quod posteriori loco tradit Wolfius, in illo exemplari Sabionetae nomen fuisse expressum. Conferantur quae

post editos illos Annales observavimus in *Bibliotheca judaica antichr.* p. 88, ubi fuse iterum de hac epistola a nobis actum est. Agunt et de ea auctores *Siftè jescenìm* et *Seder adoròth* fol. 163, qui Jachiae sententiam de Peripothi conversione, sed male, ut constat ex infra dicendis ad cod. 120, emendant, monentque excusam esse, sed non allato loco. Tandem exemplaribus a Wolfio memoratis addatur Taurinense. Quae enim in edito *Catal.* illius bibliothecae cod. CLX a. II 34 fol. 220 p. 2 describitur *Epistola anonymi ad quemdam, cujus nomen antea in Israele erdt David Bonet, filius Joran, sed vix est initium, unde ejus argumentum percipere non potuimus,* ea auctoris nostri est, manifesteque habet et auctorem et titulum, sed ex confusione daleth cum resc male a cl. Pasinio intellectum. Lege האפד חבר כתב זה׳ *Enhodaeus composuit epistolam hanc ad quemdam, cujus nomen antea in Israele erat David Bonet fil. Duràn*. Notissimum autem est libelli argumentum occultumque auctoris institutum apparenter Bonetum in christiana religione confirmare, sed revera eum ab ea avertere, quod et commemoratus auctor *Seder adoròth* non dissimulat. Epistolam autem hanc Peripothi Duran esse codicum et eruditorum omnium confirmat consensus. Mirandum ergo eam a Bartoloccio, viro alioquin doctissimo ac diligentissimo, R. Donas tribui potuisse, qui est tribus fere seculis antiquior. De nostro hoc opere et auctore aliisque ejus scriptis adi si lubet, *Bibliothecam* nostram *judaicorum auctorum* T. II pag. 89.

Cod. 85

1.° R. Amithì fil. Jedajae ben Raz קול סכל *Kòl sachàl, Vox insipientis,* seu *Maamaròth, Dissertationes contra legem oralem,*

2.° R. Jehudae Arie, sive Leonis Mutinensis Liber שאגת אריה׳ *Scaagàd arié, Rugitus leonis,* contra praecedentem librum, chartac. rabb. in 4.° an. 1622, ineditus et autographus.

Utriusque operis nullum apud Wolfium vestigium. Suspicor tamen ac fere pro certo habeo, ut nuper animadverti in *Dictionario hist. jud. auctorum* T. II pag. 9, *Commentationem illam contra karaeos* R. Jeh. Mutinensis, quam ms. possidebat Luzzatus, et ex ejus *Epistola* ad Ungerum refert Wolfius T. III p. 300, non aliam esse ab ea quae hic sistitur sub peculiari titulo שאגת אריה׳.

Quandoquidem etsi directe in ea non agat auctor contra karaeos, sed contra rabbanitam Amithaeum fil. Jedajae, idem tamen est operis institutum legem oralem defendere, quam hic rabbanita, non secus ac karaei, impugnabat. Praecedit titulus paullo fusior remque uberius declarans: » *Scaagàd ariè* seu *Rugitus leonis* adversus *Kòl sachàl* seu *Vocem insipientis* cujus manus novum haereticorum genus plantant, idest Animadversio ac responsio facta a me moerente ac minimo Jehuda Ariè Mutinensi ad librum, quem scripsit vir quidam R. Amithaeus filius Jedajae ben Raz an. 5260 in urbe אלקלעה Alkalha. Is venit in manus meas mense sivan an. 5382 hic Venetiis, descripsique illum, ut, opitulante Deo ac vitam suppeditante, responderem ei super verbis ejus contra traditionem et legem oralem ». Compositus est ergo adversarii liber an. 1500 aerae nostrae, descriptus an. 1622.

Excipit titulum Jehudae praefatio, quae quum brevior sit, et occasionem detegat nacti libri, operae pretium putamus integram subjicere. » Mense sivan anni 5382 hic Venetiis, tribus circiter mensibus post acerbam ac praecipitem occisionem filii mei Zabulon, solus eram, corde moerens ac turbatus spiritu, ambulans et flens ad oram majoris urbis fluminis malignitatem syderis mei casusque meos funestos a die nativitatis meae usque nunc, quod ecce obviam mihi fit sapiens quidam corde, notus mihi ac noscens me, ex viatoribus maris, qui non exiguo abhinc tempore ex oriente venerat. Is, data redditaque salute, coepit sermonibus suis consolari me in moerore ac malo meo, ut solent amici veri. Sed videns me solamen omne recusare, studuit ad aliam me rem divertere, introduxitque sermonem de hominum, etiam sectam eandem profitentium, opinionum in religione ac fide diversitate, subdens ostensurum se mihi exiguum librum trium dissertationum, quas vir quidam ex filiis nationis nostrae conscripserat annis abhinc centum viginti et amplius, quem ex lucubrationibus ipsis patet virum fuisse plane doctum, ac plenum roboris adversus sapientes nostros fel. mem., legemque ore traditam. Antequam vero is describatur, debet attente considerari, ut respondeatur loquenti mendacium. Quis autem, inquiebat ille mihi, sapiens sicut tu (eram enim in oculis e-

jus quasi intelligens, etsi ob amorem mei erraret), qui respondere possit stulto secundum stultitiam suam, assuetus et peritus, ut ego novi te, in disputationibus gentium et christianorum prae omnibus filiis aetatis nostrae, et clypeus, et scutum legi nostrae? Quin et libros karaeorum consideravit oculus tuus prae omnibus illis. Dabo ergo eum tibi, tu illum accipe et considera, tibique describe, si vis ejus cervicem conterere. Tum ego in tenuitate mea summa animi oblectatione desideravi eum ante omnes inspicere. Vere enim sollicitus fui cunctis diebus meis quamcumque hominis sententiam examinare, sive falso, sive pro veritate de fide ac religione disserentis, num possem aut credere, sicut ipse, aut contra eum insurgere. Itaque illum sapientem tenui, nec dimisi, donec iret, mihique librum hunc afferret. Quem quum domum mecum detulissem, a capite ad calcem descripsi, etsi occupationes meae multae non permiserint eum accurate legere usque ad mensem chesvan anni 5384. Fortiorem autem illum vidi, quam antea credideram, ac necessarium esse studium, ut ejus sermonibus respondeatur impuris. Coepi itaque, et pro opportunitate oneris legis, quod mihi perpetuo incumbit, persequar, et comprehendam ejus verba, prout Deus illuminabit me. Tu qui ejus verba inspicis, intellige et suscipe mea. Qui audit, audiat, et num dignus sit experiatur ».

Quae in hac praefatione dicit orientalis ille viator de singulari Mutinensis nostri peritia in antichristianis controversiis, nova plane lectoribus nostris videbuntur. Si enim excipis puerile illud et ineptum cabbalisticum inventum, a Wolfio relatum T. I p. 416, cui ineptius plauserunt judaei, in nomine videlicet Jesu Nazareni numerum contineri antichristi 666, et in altero Jesu et Mariae numerum 612 deorum alienorum terrae, qui in Deuteron. memorantur, nullus hucusque liber ex multis quos edidit, innotescebat in hoc studiorum genere vulgatus. At vero extat is quidem sub titulo *Maghen vacherev, Clypeus et gladius*, nosque, qui eum e tenebris eruimus et acquisivimus, de eo egimus in *Bibl. jud. antichristiana* pag. 18, et agemus iterum sub cod. 1141.

Post praefationem liber ipse sequitur Amithaei, inscriptus קול סכל שלשה מאמרות לר׳ אמתי בר ירעיה בן רז נגר תורה שבעל פה מחז״ל » *Kol sachàl*,

Vox insipientis, idest tres Dissertationes R. Amithaei filii Jedajae ben Raz contra legem oralem sapientum nostrorum fel. m. ». Prior titulus Kol sachàl, quamquam a Jehuda ipso Mutinensi esse possit, qui eum Amithaei Dissertationibus praemiserit, ab auctore tamen ipso videtur verisimilius repetendus, qui ut traditionis verba verba סכלות, seu stultitiae, ita et traditionarium סכל seu stulti nomine appellat. Prima Dissertatio in x capita dispescitur, in quibus de supremi numinis existentia ac providentia, animae immortalitate, futuro seculo, praemio ac poena, et de divinae revelationis ac legis necessitate disseritur. In secunda, quae sex constat capitibus, demonstrare conatur auctor veram traditionem statim post Josuam intercidisse. » Et ostendam tibi, inquit is ad calcem cap. II, quomodo mortua est traditio statim ac nata fuerat, nec ultra Josuam protracta ». Quod ex variis scripturae textibus ac rationibus evincere nititur in eodem II capite usque ad Esdrae tempora, praemisso cap. I nationum omnium consensu in agnoscenda Mosaicae legis divinitate, quamvis rabbanitae, karaei, christiani, muhamedani aliter eam observent et explicent. Ubi et auctorem memorans libri Morè, seu Maimonidem, eum ut מעין החכמה *sapientiae fontem* commendat.

Capite III idem argumentum persequitur ab Esdra ad sequentia tempora, urgensque ibi multiplices sectas earumque dissidia, agit et de karaeis eorumque sententiarum a sua diversitate, licet in multis cum iis conveniat. Loquitur et de Jesu nostro, ejusque dissidio a pharisaeis, qui falsas traditiones et arbitrarias expositiones illius aetate venditabant, nec dissimulat gravissimas Hillelis et Scammaei disputationes, atque ex perpetuis multisque hisce disputationibus, quae a judaicis doctoribus de iis ipsis traditionibus agitabantur, concludit nullam certam vel claram ea aetate traditionem apud eos extitisse. Quod fortius adhuc urget in sequentibus capitibus de Miscnae ac Talmudis doctoribus, seu tanaitis, gemaricis, ammorhaeis, gheonaeis, ac tandem rabbinis, qui nova semper placita et statuta prioribus addiderunt, cuncta, si iis credimus, a Mose ac Sinai tradita, » quamvis nulla esset apud eos traditio, nulla a lege auctoritas ea praecipiendi quae praeceperunt, aut statuendi quae statuerunt, sed ex una eorum sententia et arbitrio id

facerent ». Sub finem hujus II Dissertationis subjicitur excerptum ex cap. XIV libri ms *Musarè* ben Caspì.

In III Dissertatione singula Amithaeus percurrit praecepta ac ritus in synagoga receptos juxta librum *Arbà turìm*, seu IV ordinum R. Jacobi ben Ascer, primo ex Orach chaiìm, deinde ex Jorè dehà, Choscèn mispàt, Even ahèzer. Post Oràch chaiìm inserta sunt » Mispatìm seu Statuta quaedam quae memorat R. Abner in libro suo », quae incipiunt: »Etiam in statutis apud judaeos receptis quaedam mala sunt, et ab aequitate alienissima ». Ad haec provocat auctor ad chòscen mispàt. » Vide ante inter partem Oràch chaiìm et Jorè dehà statuta aliquot, quae a sapientibus Gemarae pervertuntur, ex libro R. Abner ». Quem auctorem et librum frustra in Wolfio exquires, in quo nec ullus extat auctor qui hoc nomine vocetur. Sed ego non dubito, quin sub eo nomine magistrum Alphonsum intelligat Amithaeus, qui contra judaeos scripsit, et antea in judaismo R. Abner appellabatur. De eo ejusque scriptis vide annotata ad cod. 533.

Hisce autem verbis opus absolvit auctor, quibus lectorem potissimum praemonet de rabbinorum turba in se concitanda, suamque in Deo fiduciam collocat. » Jam vero ne putes, qui meam hanc epistolam legis, quod in his meis Dissertationibus omnia patefecerim ex libris stultis eorum qui vocantur sapientes. Quia quod aperuerunt labia mea, unum tantum est ex millibus millium, immo vero ex myriadibus myriadum, nec est nisi janua vel introductio sermonis viro, qui excitat se a somno suo, nec eum detinet consuetudo vel dignitas inter genua sectatorum eorum, ut prospiciat ac videat depressionem nationis nostrae, unde ea veniat, et ut obscurarunt illi lucem fulgescentem legis Domini, quae integra est, perfecta, ac per seipsam dulcis. Nec enim potui cohibere afflictionem malam sicut istam, libroque consignavi initium horum sermonum, etiamsi norim, si revelabitur is, et apparebit coram oculis rabbinorum ac praefectorum synagogarum, quod vociferabunt plenis buccis, dilatabuntque, usque dum vivent, labium, haereticum esse, epicureum, apostatam, spurium, qui sic loquitur, emittentque in auctorem sagittas imprecationum, maledictionum, anathematum. Contra vero quis scit, an contingat haec videre vel unum in generatione

hac pingui, qui consuetudinis vel recepti ritus stultitiam perfodiat ac superbiam? Ac sufficit hoc mihi, si uni prodero ex mille intelligentibus, de quo maledicar iterum ab omni turba stultorum. Sed tu, Domine, qui excelsa inhabitas et probas renes, in cujus conspectu absconsiones cordis mei detectae sunt et notae, tu sis clypeus circum me. Maledicant illi, et tu benedicas, induant pudorem qui elevant se contra me, et judicium meum sit a Domino, et opus meum a Deo ».

Amithaei operi confutationem suam Mutinensis subjecit, novo praeposito titulo: » *Scaagàd ariè*, seu *Rugitus leonis*, idest Responsio ad verba *Kol sachàl* quae praecedunt, facta a me moerente ac minimo Jehuda Ariè Mutinensi ». Verum Responsio nonnisi duobus capitibus absolvitur, simul coepta et interrupta, sive gravioribus auctor rabbinicae praefecturae occupationibus fuerit distentus, sive, ut fortiorem repererat librum, quam crediderat, profundius etiam studium longioremque operam ad accuratam ejus refutationem requiri expertus, coepto destiterit. Si auctorem ipsum consulimus, primum credendum esset. Unice enim pendebat operis complementum ab otio, quod sibi ab officii sui muneribus relinquebatur, nec aliter definiret orientalis ille viator, qui mira adeo de Mutinensis nostri peritia in hoc genere praedicabat. Vereor tamen, ne alteri posterior caussa videatur verisimilior. Diu namque post descriptum librum, et usque ad annum 1648 vitam produxit, nec intelligitur, cur tantus vir tanto temporis intervallo, annorum nimirum xxvI, tanti ponderis responsionem urgere non potuerit, tantumque otii habere, ut eam absolveret. Nec aetas adhuc ingravescebat, ut excusat se in autographa alia sua praefatione ad scripta magistri Alphonsi codici meo 533 praefixa, quod ea non refutet, quum anno 5382, Chr. 1622, quo Amithaei librum descripsit, vel 5384, Chr. 1624, quo coepit eum expendere et confutare, aetatis esset tantum annorum LI, vel LIII. Natus siquidem erat an. 1571, ut ex binis Mutinensis ipsius testimoniis, altero quidem edito, inedito altero et autographo, infra observabimus ad cod. 1141, ubi et de aetate nostri auctoris varios bibliographorum errores emendamus. Nostrum autem codicem ipsissimum esse ejus autographum omnia demonstrant, tituli potissimum, ac character

cum ceteris, quae possidemus, ejusdem rabbini autographis mss. diligenter collatus. Jam haec scripseram, quod adversaria mea mss. percurrens, reperi in iis me aliud inediti hujus Mutinensis nostri libri *Scaagàd ariè* exemplar olim vidisse Mantuae apud R. Saraval, qui et de eo ad me scripserat die V januarii anni 1774, subdens recens cabbalistarum sistema eo oppugnari, brevemque sub finem addi auctoris nostri Dissertationem, inscriptam *Ben David*, adversus doctrinam metempsicosis.

Cod. 86

R. Ascer ben Jechiel שאלות ותשובות *Quaesita et responsa*, membr. rabbin. in 4.° sec. XV.

Quaesita hoc codice contenta sunt n.° 471, quorum index subjicitur.

Cod. 87

R. Isaaci fil. Josephi de Korbeil עמודי גולה *Amudè golà, Columnae captivitatis,* sive *Liber parvus praeceptorum*, per compendium dictus *Samàk*, cum *observationibus ac correctionibus* R. Meir Rothenburgensis ac R. Peretz, membr. germ. 4.° a col. sec. XIV.

Si R. Mardochaei fil. R. Nathan fidei ac testimonio credendum est, qui in urbe ipsa Korbeil cum auctoris nostri discipulis collocutus est, Isaacus librum hunc, apud judaeos famigeratissimum et usitatissimum, concinnavit, ut gallorum judaeorum votis ac petitioni satisfaceret, qui singularem ejus pietatem ac doctrinam venerabantur, eum collegit ex libro majori praeceptorum Mosis Kotzensis, cujus veluti summam exhibet, opportunas, ubi dissentiebat, correctiones ac supplementa inseruit, in 7 columnas vel partes, quot sunt hebd. dies, divisit, ut per singulas hebdomadas commodissime posset legi, misitque non modo epistolam ad omnes Galliae urbes, ut utilissimum ac necessarium hoc compendium ubique describeretur, sed et peritum amanuensem, qui tenuissima mercede describeret. Quumque R. Meir Rothenburgensis ac R. Peretz, in quorum manus liber devenerat, eum valde probassent, suasque emendationes fecissent, tanta jam, inquit Mardochaeus, apud omnes auctoritate fruitur, ut non liceat nunc fidem ei detrahere vel quidquam in illo immutare. Haec habet Mardochaei praefatio, Wolfio ignota, quam ex ms. codice descriptam, ac scribae testimonio corroboratam, qui autographum ipsum viderat,

in fronte editionis suae CPolitani typographi procuderunt. Ea auctoris epistola ad Gallos missa, qua libri lectionem ac descriptionem studiosissime commendat, Wolfio et ipsa ignotissima, extat in codicibus meis 571, 803, 961, et in editione CPolitana, tamque felicem, accedente potissimum plausu binorum illorum doctorum maximae auctoritatis, sortita est effectum, ut certatim descriptum sit opus, brevique immanis extiterit exemplarium copia, quorum plura adhuc supersunt. Multa Wolfius enumerat, septem sola bibliotheca Oppenheimeri, nostra septemdecim. Ea saepe inter se et ab editis discrepant, ac fere omnia correctiones illas Meir Rothenburgensis et R. Peretz exhibent, modo in textum insertas, modo seorsim in interiori vel exteriori margine additas. Auctorem anno 37 min. supp., Ch. 1277, opus hoc composuisse, quod hucusque ignorabatur, patet ex cod. meo 803, et ex Bodlej. 288. V. Uri *Catal.* p. 49. Constat autem ex 571 eum triennio post, anno videlicet 40 sexti millenarii, nostro 1280, supremum diem obiisse, non anno 5000, vel 5030, Chr. 1240 vel 1270, ut mendose tradunt auctores *Scalscèled* et *Juchasìn*, quos posteriores omnes bibliographi secuti sunt, judaei ac christiani. Conferantur quae ad eundem codicem annotamus. Noster hic, qui primum folium exhibet ex parte discissum, in typo repudii annum designat 5102, Chr. 1342, quo videtur codex ipse, vel non multo post conscriptus.

COD. 88

1.° R. JEDAJAE APPENINÌ בחינת עולם *Bechinàd olàm*, seu *Probatio seculi* cum duobus *Commentariis* ineditis, R. Mardochaei fil. Danielis Rophè sub titulo משנה למלך *Miscnè lemèlech*, et R. Matathiae fil. Abr. Aletrini, et tertio anonymi.

2.° Ejusdem שיר *Scìr*, seu *Carmen*, cujus voces singulae habent lamed, nec praetergrediuntur hanc litteram cum eodem *Comm. Miscnè lemèlech*, chartac. in 8.° anno 1564.

Textus charactere constat quadrato, Commentarii qui eum circumdant, rabbinico. De binis illis commentariis ineditis eorumque auctoribus altum adest apud Wolfium ceterosque bibliographos, etiam recentissimos hebraeorum, R. Jechiel et Azulai, silentium. Auctor Comm. משנה למלך, cujus praefatio praecedit, eruitur ex ms. nota quae extat ad marg.

I folii. Sequitur praefatio altera multo brevior R. Matathiae Aletrini, in qua monet se Comm. hunc suscepisse in gratiam Azariae fil. Jeh. de Porto, et Jochanan Jehudae fil. Sal. Aletrini, cujus poema in operis laudem hic in medio subjicitur, initialibus litteris, vulgo rascè tevòth, prodens ejus nomen. De postremo hoc Wolfius T. I p. 473. Pag. sequenti dicitur ejus Comm. absolutus in urbe קסטילו seu Castri anno וי״צא ח״שר, seu 323. Uberius vero ad calcem: » Fuitque finis Comm. libri hujus aestimatissimi hic in urbe Castri anno 5324 ab orbe condito die XXVII mensis tamuz ». Tertius Comm. anonymus congruit, paucis mutatis, cum eo qui una cum textu editus est Soncini anno 1485. De singulari illo et ingenioso quod sequitur carmine agit Wolfius T. III p. 286, ex ms. suo codice et Mantuana editione illud non Jedajae nostro, sed ejus patri Abr. Badrescitae vindicans. Codicis nostri titulus aperte illud filio attribuit: » Composuit illud orator R. Jedajà Appeninì, qui edidit librum Bechinàd olàm ». Idem plane habet titulus editionis antiquae in 8.° sub in. sec. XVI sine anni et loci nota ante Mantuanam illam curatae, et ignotae, quae apud me extat. De Bechinàd olàm ejusque auctore eloquentissimo agunt bibliographi omnes, judaei ac christiani. Quod spectat tamen ad judaeos, mirum est nec ferendum post reliquorum omnium consensum, ab auctore *Seder adoròth* R. Jechiele sub R. Jedaja Appeninì librum hunc omitti, tribuique infra fol. 59 R. Jacobo Badrescitae. Quod quum nullis momentis confirmet, non dubito quin ex sola auctoris oscitantia profectum sit. Plures celeberrimi hujus operis in bibliothecis extant codices mss., partim a Wolfio, partim in illarum indicibus recensiti. Cave tamen ne eorum numero accenseas Taurinensem 59 A. I 2, quem profert *Catal.* T. I p. 21. Est enim impressus et ex antiqua Conathi editione, quam cl. Pasinium male pro ms. habuisse in *Annalibus nostris hebraeo-typ. sec. XV*, de ea editione agentes, ostendimus. Nos novem rebus nostris annumeramus, octo alia operis hujus exemplaria, omnia antiquiora, suppeditantibus codicib. 98, 268, 433, 832, 1059, 1125, 1273, 1278.

Cod. 89

Seder, seu *Ordo precum totius anni cum Sectionibus Pentateuchi* ac *Psalmis* oc-

currentibus, membr. ital. in 12. anni 1485.

Ad calcem: » Feria II hebd. die XXVII mensis av. anno 5245 ab orbe condito, ut nos supputare solemus hic in synagoga urbis ליצי, ego Salomon fil. Nachman absolvi hunc ordinem in gr. domini Danielis fil. Jacobi de Benosa ».

Cod. 90

1.° Averrois *Expositio libri* Aristotelis *de Syllogismo* vel *I Analiticorum* ex heb. vers. R. Jacobi Antoli.

2.° Abunasaris Alpharabii *Liber Sophisticorum* hebraice ab eodem Antoli, membr. bombic. rabb. in 4.° sec. XIII vel in. XIV.

In titulo I libri ספר ההיקש והוא אנאליטיקא הראשונה *Liber Syllogismi vel Analiticorum primus* nulla fit auctoris mentio. Sed Averrois esse constat ex codicibus 458 et 771. Patet etiam ex hoc postremo heb. versionem esse R. Jacobi Antoli. Quod editum est Ripae Tridenti an. 1560 hujus libri compendium Averrois, nostro hoc brevius multo est et ab eo diversum. Bina haec Averrois scripta super hoc libro nolim confundi, ut fit ab omnibus bibliographis. Sequitur Abunasaris liber המטעאה, seu *Sophisticorum*, quem et in Vaticana extare ex Bartoloccio tradit Wolfius T. I p. 7. Praecedit interpretis hebraei praefatio, qui num Antoli ipse sit, ex nostro codice non constat, reapse tamen esse constat ex Vindobonensi. Vide Nesselii *Catal.* ad num. 70, et Wolf. cit. l. p. 8. Distinguendum et Abunasaris opus ab altero Averrois ejusdem tituli, quod sistit codex 362.

Cod. 91

1.° R. Abrahami bar Chasdai Levitae *Liber* בן המלך והנזיר *Ben amélech veanazìr*, seu *Filius regis et nazaraeus* hebraice versus.

2.° R. Salomonis fil. Abr. Avigador ס׳ המעלות *Liber amahalòth* seu *graduum*, memb. rabb. in 4° min. sec. XIV.

In describendo primo opere secuti sumus titulum editionum Chasdai nostro illud attribuentium, ac si esset auctor, quum non sit nisi ejus interpres. Nam liber primum graece conscriptus est, quod praefatio ipsa docet, hinc arabice, postremo hebraice a Chasdai translatus. De eo Wolfius T. I p. 58, et III p 35, non modo codices et editiones recensens, sed et emendans nonnulla Bartoloccii ac Plantavitii errata. Facta collatione, insigniter discrepat codex a duabus editionibus quae sunt ad manus, CPolitana an. 1518 omnium prin-

cipe, et Mantuana an. 1557. Quod vero ad secundum librum attinet, recte notat Sabtaeus eum collectum esse ex variis libris philosophicis ac varios indicari gradus, per quos homo ad prophetiam perveniat. Rectius dixisset ad sapientiam ac virtutem, ut titulus nostri codicis statim patefacit, ס' המעלות אל חכמה לעלות *Liber graduum ut ascendatur ad sapientiam*. Qui introducuntur philosophi et quidem saepissime, sunt Aristoteles, Abunasar et Plato. Explicit aurea sententia ac consilio, quod sapiens quidam dederat filio. בני לך עם החכמים אם לא תדע ילמדוך ואם תדע יכבדוך *Fili mi, sapientes frequenta. Si ignorans es, te instruent, si sapiens, honorabunt*. Pro certo habeo quod suspicatur Wolfius T. II p. 1358, hujus tituli codicem in Vaticana extantem nostri auctoris esse, et unum idemque cum nostro opus exhibere. Sed perperam putat T. III p. 1019 idem esse cum *Cantico graduum*, de quo egerat sub n.° 1939, quod poema est alterius argumenti.

Cod. 92

R. Jacobi Antoli fil. Abbà Mari fil. Simsonis מלמד התלמידים *Malmàd atalmidìm*, *Stimulus discipulorum*, seu *Comm. in Pent.*, bomb. rabb. in fol. min. sub fin. sec. XIV, vel in. XV.

Sic efferendus inediti libri titulus *Malmàd, stimulus*, non *Melamèd, docens discipulos*, ut efferunt Plantavitius, ac Buxtorfius, quamquam in hujus postremi *Bibliotheca*, seu iterata ejus editione auctoris filius et Legerus veriorem lectionem restituerint. Priorem illam secuti sunt Hottingerus, Bartoloccius, ac Wolfius, sed vel ex mera conjectura, vel ex recepta judaeorum pronunciatione. Nos firmius ejus argumentum habemus in auctoris ipsius praefatione cod. 1100, ubi cum דרבן seu aculeo connectitur, diciturque esse מלמד לתלמידים *stimulus discipulis*. Plantavitius qui in argumento operis erravit, librum cum alio confudit ejusdem tituli grammatico. De auctore mire dissentiunt bibliographi. Plures tribuunt R. Jacobo ben Machir, inter quos commemoratus Legerus et Sabtaeus. Bartoloccius incertus eumque secutus Wolfius sub utroque nomine referunt, R. Jacobi ben Machir et R. Jacobi Antoli. Wolfius tamen T. I p. 619 Sabtaei potissimum auctoritate permotus in priori sententia persistendum putat. Hinc in III vol. p. 514 binos quos viderat Oppenheimeri codices quamquam sine auctoris no-

ta, sub priori illo Machirii nomine retulit. Nos quaestionem iterum dirimimus ex laudata praef. alterius nostri cod. 1100, in qua disertissime nominatur hujus operis auctor R. Jacob Antoli. Nam in hoc nostro, etsi integerrimo, praefatio illa omittitur. Eam tamen extare conjicio certissime in primo codice Oppenheimeriano; quia *Catalogus* hujus bibliothecae a Seligmanno, qui nunc eam possidet, editus fol. 12 b eum describens, aperte illum Antolio nostro adscribit. Nec in hoc porro tantum hallucinatus est Wolfius quod opus referat ad Jacobum ben Machir, et Oppenheimerianum codicem anonymum putet, sed et in eo, quod binos recenseat. Etenim codex alter hujus tituli in eadem bibliotheca extans, ut ex *Catalogo* patet, de mysteriis cabbalisticis agit et a nostro hoc est diversissimus. Azulai, recentiss. judaeorum bibliographus qui senex adhuc vitam degit Liburni, in I parte *Scem aghedolìm* fol. 62 vix librum ex titulo noverat, ejus non dicam auctorem, sed et argumentum ipsum ignorans. At vero viso ms. illius codice membranaceo utrumque aperit in parte II fol. 52, recte quidem ex ms. illo ut videtur, notans auctorem esse nostrum Antoli, sed male eum faciens socerum R. Samuelis ben Tibbon, quum esset ejus gener, et ut ex allata praef. cod. 1100 constat, ejus discipulus. Nec sat accuratam Antolii notionem habuisse ostendunt quae subdit, sibi videri eum esse quem memorat *Menoràd amaòr*, iterum ignorans plures quas edidit, versiones librorum philosophicorum ex aliis bibliographis notissimas, saepeque in hoc nostro Commentario, et nuper in *Dictionario* nostro *histor. jud. scriptorum* T. I p. 53 recensitas. Nota quod in hoc codice saepissime sacer textus illustrandus integer producitur.

Cod. 93

R. Mosis Kotzensis סמ״ג *Samàg*, seu *Liber magnus praeceptorum*, memb. rabb. in fol. 3 col. an. 1285.

Incipit a praeceptis adfirmativis, non a negativis, ut fit in editis, et quidem a praecepto 3 dimidio. Textus accurate scriptus, antichristiana loca abrasa, variae lectiones et scholia ad marginem interdum addita, sub finem certa amanuensis nota apposita: » Ego Simson fil. R. Mardochaei absolvi librum hunc praeceptorum ad usum R. Isaaci fil. Gersom die 1, init. mensis chislev an. 5046 ab O. C. ». Incidit

initium hujus mensis in dimidium novembrem nostrum anni adhuc decurrentis 1285. Pretiosus ergo eximiaeque antiquitatis, ut et auctoritatis, habendus codex, qui nonnisi tres vel quatuor post annos ab opere ipso absoluto est descriptus. Tradit enim auctor *Saharè tziòn*, et R. Ghedalias aben Jachia in *Scalscèled* fol. 55 absolutum illud fuisse ab auctore anno 5042. De libro ipso celeberrimo, multisque laudibus a judaeis, a Simonio aliisque nostris cumulato saepeque edito conferatur Wolfius T. I p. 827, et ex recentioribus Rodriguez de Castro *Biblioth. hisp. rabb.* T. I p. 163, qui testatur secundam operis partem ms. in Escurialensi reperiri anni 5027, Ch. 1267. De qua epigraphe merito dubitandum est, si vera sunt quae de seriori libri complemento laudati scriptores tradiderunt. Illud certum Kotzensem sub init. VI millenarii floruisse, et an. 4996, Ch. 1236, in Hispania fuisse. Quod non modo ex praecepto negativo 112 eruitur, ut notat Wolfius, sed et ex adfirmativo 3, ut observat Azulai *Scem aghedolìm* parte I fol. 54. Conf. quae de auctore et opere breviter monuimus in nupero *Dictionario hist. jud. scriptorum* T. II p. 67. Ceterum ille R. Isaacus ben Gersom, qui nostrum hunc codicem describendum curavit, idem videtur cum Isaaco Gerson cujus *Observationes in Malachiam in Bibliis rabbinicis* Amstelodamensibus edidit Moses Francofurtensis.

Cod. 94

Ordo precum *totius anni* cum *Psalmis* occurr. memb. rabb. in 12. 2 vol. an. 1486.

» Manu mei minimi Jehudae fil. R. Sal. Melammed. Absolvi autem eum hodie feria IV sub fin. ellul an. 246 ».

Cod. 95

R. Jehudae Rophe fil. Biniamini הלכות בדיקה *Ilcòth bedichà*, seu *Constitutiones mactationis* vel *probationis*, et *discerpti*, memb. rabb. in 12. sec. XIV.

Sub finem » Ego Judas scriba fil. R. Mordachai scripsi has constitutiones probationis in gratiam praeceptoris mei Judae fil. Salomonis ». Plura alia in hac nostra collectione extant mss. exempla, sed saepe inter se diversa. Hoc sub initium deficit. Quamquam porro communissimus sit libellus, de eo tamen silet Wolfius sub hoc auctore in I vol. p. 418. In III p. 303 binos suos codices describit. Miror autem eum ex uno eodemque auctore plures fecisse. Nam qui

ab eo recensetur in I vol. sub n.° 699, idem plane est cum eo quem profert sub n.° 765. Nec in nomine עניי codicis Vaticani ullum est mendum, adjunctum istud legentibus etiam meis 99 et 513. Item bini auctores sub eodem n.° 699 relati in vol. III unus idemque sunt. Quod vel ex ipsa descriptione Wolfius dignoscere poterat. Uterque enim dicitur Jehuda fil. Biniamin Rophè, prior p. 21 libri *Tanià* a se allati, posterior sub initium *Ilcòth therephà*, ut ex ms. suo codice notat p. 304, nosque ex nostris confirmamus.

Cod. 96

Liber כלילת יפי Chelilad jophi, seu *Perfectio pulchritudinis* continens

1.° R. Jehudae Ghibbor karaei מנחת יהודה *Minchàd jehudà*, seu *Oblatio Judae*.

2.° Anon. מעשה ישו *Mahassèh jescù*, vel *Historia Jesu Nazareni*, chart. rabbin. 4.° min. in. sec. XVII.

Rabbinicis litteris singulari modo contortis ac lectu difficilibus hic codici praefixus est titulus: » Liber Chelilad jòphi, labium veritatis in eo stabilitur, os excelsum doctorum nostrorum super fidei articulis, duabus portis. Prima Sionis complectitur leges, statuta, judicia, articulos vel dogmata, et fundamenta karaeorum et origines eorum, postea vero sequitur soror ejus Historia quae accidit de Jesu Nazareno et christianis, et de miraculis terribilibus, et omnibus, quae illis contigerunt ». Extat liber karaiticus *Chelil jophi* R. Aaronis fil. Josephi, quem Sabtaeus et R. Samuel ad *Novelòth chochmà* foeminine Chelilad jophi, sed minus recte, appellant. Sed hic liber, diu CPoli editus, de quo Mardochaeus in *Dod mordachai*, seu *Notitia karaeorum* p. 142, et Wolfius tum in praefatione ac notis ad eundem librum, tum in *Bibl. heb.* T. I p. 119, grammaticus est, nihilque cum nostro hoc habet commune. Patet autem ex ipso codicis titulo eum a karaeo qui utrumque librum conjunxit, esse repetendum, non ab eo qui primum karaiticum edidit. Verum ac proprium karaitici nostri operis titulum esse *Minchàd jehudà*, ejusque auctorem R. Jehudam Ghibbòr, eruitur ex ms. alio ejus exemplari quod karaeus quidam possidebat, sibique eruditus judaeus Gradiscanus Elias Morpurgus describendum curavit, eo quidem consilio ut editioni quamprimum pararet. Collatione enim per litteras instituta, unum idemque opus, ut suspicabar, uterque codex com-

plecti repertus est, ab eo auctore compositum anno min. supp. 263, Chr. 1503. Opus porro ipsum, cujus notitiam ac vestigia in Schuparto, Triglandio, Wolfio, Novelòth chochmà, et in Mardochaeo ipso karaeo frustra deinde quaesivi, karaeorum leges, statuta, ritus, dogmata, ut in fronte monetur, versibus elegantissimis illustrat, librorum Pentateuchi ac sectionum ordinem sequens. Quilibet versus duplex est ac divisus, binis constans hemistichiis ac quatuor membris incisis, quorum tria priora eodem rythmo, quartum alio quidem, sed in toto opere constantissimo ac semper simili, absolvuntur. Ex hisce versibus sexdecim praefationis locum tenent, ac fidei articulos comprehendunt. Qui Messiam respicit, sic ab auctore expressus est.

לקץ ימים ישלח
אנוש בכל יצלח
עוננו יסלח
ויזרח כמאורים

» In fine dierum mittet
Hominem qui in omnibus prosperabitur.
Is iniquitatem nostram remittet,
Et orietur ut lumina ».

Ad calcem testatur amanuensis se haec carmina descripsisse ex libris judicialibus karaeorum, nec recessisse quidem a verbis autographi, loca tamen nonnulla prohibitionis vel execrationis in benedictionem mutasse, quae singula, numero xxvI, duabus columnis accurate recenset, apposito etiam suis locis asterisco, ut distinguerentur. Constat ergo a rabbanita eum fuisse descriptum, quem celebrem R. Jehudam Mutinensem fuisse non modo primi possessoris, judaei Veneti Aboabi, testimonium confirmat, sed et aliorum quae possidemus, illius rabbini autographorum collatio. Huic eidem R. Jehudae Ghibbor debentur *Praecepta adfirmativa et negativa,* quae occurrunt in I vol. *Machazòr karaitici* Venetiis excusi an. 1529. In titulo dicitur is filius R. Eliae fil. Josephi, praeceptá autem ipsa juxta parascarum ordinem distributa. De his iterum silet Wolfius, sed breviorem nos utriusque operis et auctoris notitiam nuper dedimus in *Bibl. jud. script.* T. I p. 130.

Aliud quod sequitur, nefandum ac pestilentissimum opusculum, diu notissimum est ac pervulgatum sub alio titulo *Toledòth jescù*, seu *Generationes Jesu,* quod cum nostro *Mahassèh,* seu *Historiae* plane coincidit. Hoc eodem titulo instructus erat codex Ernesti Jablonskii, ut notat Wolfius T. II p. 1445, qui et ex Wagenselio ac Len-

tio profert exempla מעשה תלוי et מעשה תלוע *Historia suspensi*, vel *crucifixi* inscripta. Nostrum hoc incipit: » In templo secundo in diebus Tiberiani caesaris in diebus Herodis II, regis Israel, qui male se gessit in operibus suis, ut conspicitur in Josiffòn, in diebus illis vir extitit ex semine domus David, cujus nomen erat Josephus Pandira, fuitque ei uxor nomine Maria. Vir autem ille erat timens Dominum et discipulus Simeonis ben Scetach ». Saepe discrepat ab utroque hujus furfuris libello, seu exemplari, quod Wagenseilius et Huldricus ediderunt, tum et ab iis quae alii nostri codices suppeditant; saepeque etiam, ut in putidissimis commentis ac mendaciis usuvenit, sibi contradicunt. Quod vel ex ipso libri exordio manifestum fit. Juxta ms. nostrum quod karaiticum dicere possumus, quia apud karaeos servatum et ab iis descriptum, Mariae conjux est Joseph Pandira, vir timens Deum, Jochanan vir nequam, qui ea abutitur, contrarium plane legit Wagenseilianum. Juxta Huldricianum neuter est sponsus, sed tertius quidam Papus fil. Jehudae, vir nequam Joseph Pandira. Si hoc audis, erat Maria ex tribu Beniamin, si ms. nostrum, ex regia Davidis familia, si illud, rea delicti, si nostrum ac Wagenseilianum, innocentissima, fraude decepta, a tribunali absoluta. In patratis a Jesu signis virtute divini nominis omnia consentiunt. Sed nostrum loquentem introducens Jesum, plura in ejus ore prophetarum testimonia coacervat, fusioresque sermones, quam in aliis fiat, multaque habet sive in contextu, sive ad finem addita, de Petro ac Paulo, de Constantino et Helena, de inventione crucis ac mortuo ad ejus contactum resuscitato, quae in Wagenseiliano et Huldriciano desiderantur. Conf. quae de hoc opusc. observavimus in *Bibl. jud. antichrist.* p. 117, et in *Bibl.* altera *jud. auctorum* T. II p. 152, et multo antea in *Tractatu de vana judaeorum expectatione* p. 189.

COD. 97

1.° R. MOSIS NACHMANIDIS *Quaesita et responsa*,

2.° R. AZARIEL gaòn *Decisio legalis*,

3.° R. GERSON LATEF *Decisio* altera de eodem argumento, chart. rabb. in 4.° sec. XVI.

Nachmanidis Quaesita ac responsa sunt n.° LXXII. Sequuntur Decisiones binorum illorum rabbinorum, de quibus profunde silet Wolfius,

et ad calcem quidem postremae annus designatur: » Dicit minimus Gerson Latef fil. R. Mosis fel. mem. die XII sivan an. 286 », Ch. 1526. Crebra additamenta et mutationes quae in ea leguntur sive interlineares, sive marginales, non inanem conjiciendi caussam praebent ipsum esse Latefii autographum.

Cod. 98

1.° R. Jedajae Penninì vel Badrescitae כתב התנצלות *Epistola apologetica* ad R. Sal. ben Adèred.

2.° Anonymi *Poema*.

3.° Ej. Jedajae Penninì בחינת עולם *Bechinàd olàm*, vel *Examen mundi*.

4.° R. Josephi Esopaei קערת כסף *Kaaràd chèsef*, *Scutella argentea*.

5.° Jedajae Penninì בקשה *Bakascà* seu *Precatio* metrica, cujus singulae voces a *mem* incipiunt.

6.° R. Ephraim ben Joab *Carmen* ineditum, membr. rabbin. in 16. sec. XV.

De singulis Badrescitae, eloquentissimi oratoris, operibus fuse Wolfius T. I p. 401, III p. 284 et seqq., et IV p. 827, et Rodriguez de Castro in *Biblioth. rabb. hisp.* T. I p. 172, ac nuper nos ipsi plenius et accuratius in *Dictionar. hist. jud. auctor.* T. I. p. 167. Primi libri seu Epistolae apologeticae idem hic titulus cum eo, quem ex Responsionibus Arisbae profert Wolfius T. III p. 288. Eadem subscriptio, non Jedajae Abrahami, ut mendose habet Wolfius, sed Jedajae fil. Abr. Badrescitae. Idem etiam auctor, non Bonet Porphet, ut perperam legit Uri in novo *Catal.* Bodlej. p. 63 ad cod. 343, ubi ea servatur. Sequitur anon. carmen, quod incipit שלח יונה מבשרת, habetque praefixa haec verba דבר נעים תאר מצאתי. Forte est illius Ephraimi ben Joab cujus est alterum ad calcem codicis, nam occurrens in carmine illud nomen punctis notatur. In Bechinàd olàm occurrunt interdum ad marg. variae lectiones, emendationes, expositiones, quod idem fit in Bakascà, seu celebri ac fusa, et ingeniosa ej. Badrescitae precatione metrica, cujus voces omnes a littera mem incipiunt. Nescio cur Wolfius de ea agens T. I p. 405, et III p. 290 illam inscribat תהלה לאל *Teilàh leèl, laus Dei*. Etenim in omnibus quotquot habeo vel vidi, mss. codicibus ejus titulus est בקשה sicque legi communiter in editis Wolfius ipse non diffitetur posteriore loco. Subjiciuntur in nostro codice versus nonnulli, quos in operis laudem Jedajae pater composuit, tum et illi qui in initialibus singulorum versuum

litteris auctoris filii nomen dant et cognomen, a Bartoloccio memorati ex codice Vaticano, et ex uno ex suis a Wolfio partim relati T. III p. 291, ideo quod in editis nusquam invenerit. At invenisset profecto, si Ferrariensem editionem an. 1552, de qua pluribus egimus *De typogr. heb. Ferrar.* p. 22 et seqq., habuisset prae manibus, in qua disertissime leguntur. Sed illud singulare, quod in verbis praemissis carmini non auctor in I persona in nostro hoc codice loquitur, ut fit in Wolfiano et editione Ferrariensi, sed alter de eo in persona tertia.

De Esopaei Kaaràd chèsef morali altero libello non minus celebri, agit Wolfius T. I p. 502, III p. 379, IV p. 847, praeter editiones et versiones tres mss. ejus codices recensens, Vaticanum, Vratislaviensem, et Ungerianum. Nos rebus nostris duodecim adnumeramus, videlicet cod. 62, 98, 102, 299, 392, 403, 832, 1050, 1125, 1151, 1278, 1283, et in codice quidem 62 duplex hujus libri exemplar conspicitur, ut ad eum monuimus, sed unum non integrum valdeque dissentiens. In praemissa praefatiuncula carminis occasio attingitur, unde eam Reuchlinus desumpsit, diciturque ab auctore compositum Perpiniani in gratiam filii sui Samuelis ejusque nuptiarum. Adduntur ad calcem quatuor versus, qui in CPolitana editione an. 1533 rarissima quae est ad manus in 16., non in 8. ut notat Wolfius, omittuntur. Initiales postremi Poematis litterae auctoris nomen, patrem, patriam produnt, Ephraim ben Joab de Mutina, de quo profunde Wolfius silet.

Cod. 99

R. Jehudae Rophe fil. Biniam. *Constitutiones mactationis, et probationis animalium* cum anon. *Commentario*, membr. rabb. in 12. sec. XV.

Initio bina occurrunt chirographa facultatis mactandi, alterum R. Jehudae fil. Baruch an. 201, Chr. 1441, alterum cel. R. Jehudae dicti Messer Leon an. 231, Chr. 1471. Ad calcem praef. constitutionum mactationis dicuntur eae compositae a R. Jeh. fil. Biniamin Anav, seu Mansueto fel. m., quod idem nomen suum pandit auctor sub in. Ilcoth teraphà, seu Constitutionum de direpto, quae sequuntur, loquens in I persona, cum adjuncto familiae titulo Rophè. Utraeque dicuntur absolutae per manum Abr. fil. R. Nathan. Codicem claudunt binae aliae facultates peragendi ri-

tus, altera concessa a R. Meir fil. Mosis aben Lateph an. 180, Chr. 1420, altera a R. Josepho fil. Sal. Duran an. 207, Chr. 1447.

COD. 100

AVICENNAE *Liber de caelo et mundo* hebraice versus ab anon., membr. rabb. in 8.° sec. XIII vel in. XIV.

Idem liber iterum occurrit in cod. 424, videturque hebr. utriusque versio illa R. Salomonis ben Mosis de Algerio, quam sistit codex Vatic. 386, teste Bartoloccio, et *Catal. Vatic.* p. 363. Idem enim est initium. Forma characteris rabbinici est orientalis, et constat XVI sectionibus, sub quarum initium testatur auctor se in hoc opusculo coacervare quae de hoc argumento tradunt sparsim Aristoteles et antiquiores philosophi. In indice scriptorum Avicennae, quem ex arabica *philosophorum Bibliotheca* exhibet Casirius in *Bibliotheca hisp. Escurial.* T. I p. 270, repetitque in parte II *Catal. mss. cod. orient. biblioth. Nanianae* cl. Assemani pag. 211, nostrum hoc Avicennae opus desideratur. Varia alia celeberrimi hujus arabum medicorum principis opera hebraice translata, videlicet *Canonem medicinae, Compendium artis medicae, librum Arguzà, Tract. de astronomia,* sistunt codices nostri 568, 624, 927, 1169, 1277.

COD. 101

1.° ANONYMI *Tabulae astronomicae.*

2.° JOH. DE BIANCHINO *Tabulae horariae.*

3.° R. MARDOCHAEI FINZI *Tabulae aliae.*

4.° R. JACOB FIL. DAVID fil. Jom Tov *Opusculum de ratione conficiendi calendarii et inveniendi lunationes.*

4.° R. ISAACI ALCHADEV אורח סלולה *Orach selulà, Via strata,* membr. et chart. rabb. in 8.° sec. XV.

De tabulis Bianchini nihil Wolfius. De posterioribus illud unum notat T. I p. 797 ex Bartoloccio R. Mordechai Pinzo scripsisse de noviluniis, aequinoctiis et solstitiis. Idem cum nostro est auctor, nec Pinzo, sed פינצי Finzi, ut bis diserte in nostro hoc ms. habetur, legendum. Opusculum Jacobi Jom Tov extat etiam in Taurinensi, teste eodem Wolfio T. IV p. 865, qui et illius tabulas astronomicas memorat, ut in Vaticana extantes, T. I p. 586. Hinc non inanis suspicio oritur quae primo loco in hoc nostro codice veniunt, eidem auctori forte esse tribuendas. Postremi opusculi nonnisi praefationem et primam sectionem amanuensis

descripsit. Integrum habes in 294, et 1144.

Cod. 102

1.° R. Joseph Aben Caspì כספי אדני *Tzoàd caspì, Eductio caspiana* vel *argentea*, qui dicitur etiam *Liber musàr*, seu *institutionis*.

2.° R. Josephi Esopaei *Kaaràd chèsef*, seu *Scutella argentea*.

3.° Ejusdem *Epistola rythmica* ad fil. Samuelem cum hujus responsione, membr. rabb. in 12. an. 1467.

In praefatione primi libelli narrat auctor se, peragratis jam regionibus variis aliisque mox peragrandis, in filii sui Salomonis gratiam, dum Valentiae esset, eum concinnasse. » Annis, inquit is, abhinc viginti .... descendi in terram Aegypti ad scholam magni rabbini, sapientis perfecti morè, seu doctoris (Maimonidis) et reperi illic semen ejus semen sanctum quartae generationis, et filios eorum quintae, justos quidem omnes, sed qui scientiis operam non navaverant. In tota quoque Aegypto nulli sapientes erant. Exclamavi intra me ipsum, vae descendentibus in Aegyptum ut inquirant auxilium, reversusque sum ad regionem meam cum pudore, postquam in itinere ac reditu sex menses insumpseram. In patria autem domoque mea per tempus aliquod scientiis incubui, ac commentariis legis ac scripturarum, donec hodie excitavit me Deus ut peragrarem terram occidentalem venique in Cataloniam et Aragoniam, ubi modo moror in urbe magna Valentiae. Sique vivificabit me qui mortuos vivificat, circuibo adhuc universam Aragoniam et Hispaniam et provinciam Fez, quia audivi esse illic sedem sapientum .... Itaque antequam iter instituam, deliberavi mecum institutionem hanc componere et mittere ad Salomonem filium meum Tarascone habitantem, ut sit ipsi in perpetuum memoriale, viasque suas dirigat, ne forte spiritus Domini elevet me in terram longinquam ». Constat capitibus xxI, ad quorum calcem haec leguntur: » Ego Moses Levita descripsi hunc librum .... anno 5217 ab orbe condito, absolvique illum mense tisrì a. 228 min. supput. » hoc est an. nostro adhuc decurrente 1467. Nullus opusculo praefixus est titulus, nosque eum mutuamus ex cod. altero 755 qui illum exhibet in fronte. In praefatione vocatur liber מוסר *Musàr*, institutionis vel moralis, subque posteriore hoc titulo extat in cod. Taurinensi 97. Quamquam por-

ro ratione argumenti sic appellari hic liber et possit et debeat, appelletque ipsa auctoris praefatio, unde videtur Taurinensis codicis scriba, si illud nomen legitur in fronte, vel *Catalogi* auctor, si deest, desumpsisse, verus tamen ac proprius libri titulus prior ille habendus est, qui et auctoris consuetudini, nomen suum in libris inscribendis perpetuo spectandi vel ad illud alludendi, est conformior. Quod vero attinet ad id quod subdit Taurinensis *Catalogus* librum hunc Buxtorfio, Hottingero, Plantavitio, Bartoloccio, Wolfio, ceterisque omnibus qui de Josepho Caspì verba fecerunt, esse ignotum, de Wolfio quidem minus recte dicitur, qui T. IV p. 855 ex eodem codice Taurinensi et sub eodem numero V codicis memorat nostri auctoris *Documenta scientiae pro filii sui educatione*, quae ab hoc opere non sunt diversa, nec distinguenda. Male etiam notat Pasinius illud Caspium misisse ad filium suum Valentiam, quum e Valentia Tarasconem missum sit, ut paullo ante ex praefatione vidimus. Constat autem ex praefatione ad קבוצת כסף *Kevutzàd chesef*, seu *Collectionem argenteam* cod. nostri 755, qua varia sua scripta Caspius enumerat, eum floruisse anno 91 supra quinque millesimum, Chr. 1331, non seculo XIII, ut habet Wolfius T. I p. 541, multo minus natum anno 4960, Chr. 1200, ut Rodriguez de Castro in *Biblioth. hisp.* T. I p. 101. De nonnullis aliis vitae hujus auctoris circumstantiis, ut et de singulis ejus operibus conferantur annotata ad eum codicem et nuperrima *Bibliotheca* nostra *jud. auctorum* T. I pag. 77. Esopaei libellum ejusdem argumenti multas exhibere ab edito textu discrepantias evincunt crebrae variae lectiones, quas posterior manus sive ad marg., sive in textu ipso adnotavit, illudque singulare in nostro codice, quod non modo sistitur ad ejus calcem rythmica illa Esopaei epistola ad filium Samuelem, qua ei opellam suam commendat, supra a nobis memorata ad cod. 62, sed et filii responsio, quae in eodem codice deest.

Cod. 103

R. Abr. Aben ezrae *Liber* גורלות *goralòth*, seu *sortium* ineditus, chart. rabb. in 8.° recentior.

Eum vix ex solo *Siftè jescenim* memorat Wolfius T. I p. 84. In titulo vocatur Seder, » Ordo sortium quem composuit, examinavit, ex-

pendit R. Abr. aben Ezra fel. mem. per aspectum stellarum et arcanum sanctorum cura maxima ». Agit de astrologia judiciaria, habetque praemissam anonymi praefatiunculam, in qua nomine auctoris Aben Ezrae dispositiones quaedam proponuntur ab inquirente habendae, et oratio ante facienda.

Cod. 104

Anonymi *Tractatus caballisticus de anima*, chart. rabbin. in 4.° min. sec. xvI.

Dividitur in septem partes et pars quaelibet in varia capita. Incertus et ignotus est auctor.

Cod. 105

R. Eliae fil. Mosis de Vidas תוצאות חיים *Totzeoth chaiìm*, *Exitus vitae*, chart. rabb. in 8.° an. 1618.

Est compendium celebratissimi nostri auctoris operis moralis *Rescìd chochmà*, quod auctorem alium concinnasse ex praefixa praefatione aperte patet, in qua de illo ut tertia persona et quidem summa cum laude disseritur. Fallitur ergo Wolfius, qui T. I p. 165 auctorem ipsum *Rescìd chochmà* commentationem suam asserit in summam redegisse sub eo titulo. Sub finem: » Hic Mantuae opera minimi ex sociis י"ל, fuitque finis ej. hodie d. III a. 5378 ».

Cod. 106

R. Mosis fil. R. Sal. de Salera *Commentarius* ineditus in Maimonidis *Morè nevochìm*, chart. rabb. in fol. an. 1425.

Deficiente primo fol., quod verisimile est auctoris nomen habuisse praefixum, ejus detegendi occasionem dederunt verba *Ego autem Isaias filius ejus quaesivi* ec., quae occurrunt circa dimidium secundae praefationis. Statim enim conjeci innui R. Isaiam filium Mosis, quem scripsisse in tertiam partem libri *Morè nevochìm*, cujus partes duas priores pater ejus illustraverat, notat Wolfius T. I p. 708. Quod repetit Wolfius p. 897, de patre ipso agens, indicato utrobique ms. codice Mediceo, cui T. III p. 816 Oppenheimerianum addidit. Plenior tamen et accuratior auctoris et operis notitia eruenda est ex codicis illius Medicei, qui est undecimus secundi plutei, titulo interiore, quem integrum dat Biscionius *Bibl.heb.Flor.* p. 200: » Commentarius, quem composuit sapiens perfectus R. Moses filius Sal. de Salera in binas partes libri Morè, quem edidit doctor insignis R. Moses fel. mem. Scriptae autem sunt manu Isaiae filii ejus, quum obierit auctor, antequam tertiam absolveret ».

Descripsit ergo filius tantum patris opus, seu binas priores libri partes, non tertiam supplevit, ut habet Wolfius, quod et superstites codices confirmant, qui tertia carent. Certe tamen supplevit vel nonnulla de suo addidit in II praef., quod et alicubi in Comm. ipso fecisse non est inverisimile. Illud etiam patet verum auctoris nomen fuisse Mosem de Salera, non de Seltho, ut ex codice Oppenheimeri habet Wolfius posteriore loco. Quem Wolfii errorem, ut et alterum Catalogi Montfauconiani, recte emendat Biscionius, sed inepte subdit, unde vero arguatur XLVIII capitibus constare secundam partem, haud equidem ominari, non animadvertens totidem plane capitibus constare partem ipsam II *Morè nevochìm*, quam in II sua parte auctor noster illustrandam susceperat. Sub finem codicis: » Scripsi has duas partes *Morè* in gratiam R. Abr. filii Menachem, absolvique illas die V mensis tisrì an. 186 min. supp. » Alterum, sed mutilum, inediti ac perrari hujus Commentarii exemplar suppeditat cod. noster 1071. Oppenheimerianum in *Catalogo*, quod Seligmannus edidit, desideratur, ac suspicor, immo pro certo habeo, confusum fuisse cum Comm. Mosis Narbonensis, seu cum aliquo ex tribus, qui illic recensentur, ejus codicibus.

Cod. 107

Anonymi פסקי תוספות *Piskè tosaphòth*, seu *Decisiones additionum talmudicarum*, membr. et chart. rabb. in 4.° sub fin. sec. XIII vel in. XIV.

Ex indice qui subjicitur, patet dari hic Decisiones tosaphòth ex talmudicis tractatibus tribus supra triginta. Ante illum indicem haec occurrit librarii nota: » Finitae sunt Decisiones tosaphòth. Benedictus qui dat fesso virtutem. Scripsi hunc librum *Piskè tosaphoth* in gratiam sapientis R. Kalonymi filii R. Jekutiel... ait scriba Isaac filius Mardochaei levitae ».

Cod. 108

R. Isaaci Israelitae יסוד עולם *Jesòd olàm*, seu *Fundamentum mundi*, cum *tabulis astronomicis*, memb. rabb. in fol. sec. XIV.

Praestantissimi operis pulcherrimum exemplar. Praecedunt varia carmina, pleraque auctoris, quae praefationis veluti locum tenent. Folio seq. libri titulus occurrit aureis exaratus litteris, elegantique ornatu varii coloris, qui et integram occupat paginam, nobilitatus. In eo dicitur opus ab aucto-

re nostro compositum in honorem R. Ascer fil. Jechielis anno a condito universo 5070, Ch. 1310, quod et alii codices et scriptores confirmant. Vide Wolfium T. I p. 663, et IV p. 882, ubi pro anno 1310 typograph. errore annus 1410 irrepsit. Noster tamen codex, qui in prioribus foliis magnam variarum lectionum faraginem suppeditat ex aliis mss. collectam, notat ad marg. alios codices aetatem Asceris nomini anteponere, ac legere anno 5066, Christi 1306. Quod si de compositionis initio intelligas, esse potest, de ejus complemento, ut fert contextus, nullo modo, nisi statuas intra annum auctorem opus hoc in suo genere elaboratissimum et eximium absolvisse. Nam R. Ascer nonnisi anno praecedenti 5065, Ch. 1305 Toletum fuga se recepit, ut observavimus et demonstravimus ad codic. 73. Prior ergo lectio praeferenda. Inde tamen consequitur saltem intra quinquennium inceptum illud fuisse et absolutum. Diserte porro auctor appellatur filius Josephi, ut novum hinc argumentum habeatur ineptae eorum opinionis, qui Isaaco Israelitae filio Salomonis tribuerant. Initiales dictiones litteris constant majoribus quadratis hispanicis, saepe diverso colore distinctis, figurae affabre elaboratae, textus accuratissime scriptus, scholia ac variae lectiones antiqua manu appositae, astronomicae tabulae plures ad calcem subjectae. Illud autem notatu dignissimum, quod in *Maamàr*, seu tractatu IV integrum caput, ordine XVIII, auctor addidit, in quo chronologicam patrum ac doctorum seriem ex R. Abr. ben Dior *Libro kabbalae*, seu *traditionis* summatim exhibet, et usque ad sua tempora supplet, multaque habet ad litterariam judaeorum historiam illustrandam apprime utilia. Quod tamen caput non in omnibus codicibus extat, nam in altero nostro 986 desideratur. Insigne hoc opus quod adhuc erat ineditum, nec nisi apud primores seculi, ut notat Azulai in II parte *Scem aghedolìm* fol. 41 b, ms. delitescebat, lucem tandem, eo teste, vidit anno min. supp. 537, Chr. 1777. De eo ejusque auctore conferatur nuperrimum *Dictionarium* nostrum *histor. jud. auctorum* T. I p. 177.

COD. 109

1.° R. MOSIS ALMOSNINO fil. Baruch בית אלהים *Bèth elohìm*, seu *Domus Dei*.

2.° Ej. שער השמים *Sàhar ascamaìm*, *Porta caelorum*, chart. rabb. fol. anno 1605, 1606.

Astronomicus uterque et ineditus. Prior versionem continet tractatus Joh. de Sacrobosco *De sphaera* cum fuso auctoris nostri commentario. Is in quatuor partes dividitur, monetque in praef. utrique libro communi, Almosninus se illum composuisse aetatis annorum triginta. Post praef. idem in nostro codice titulus operi praefigitur, qui in Bodlejano a Gagnerio relato ac Wolfio T. III p. 731, et ab Urio in novo *Catal.* p. 84. Ad ejus calcem haec extat epigraphe: » Laus sit et gloria Deo, Deo excelso, qui dignum fecit me, ut absolverem librum hunc nocte post sabbatum parascà וארא an. 5366 ab O. C. die XXIX tebeth hic Venetiis, urbe celebratissima, inquit descriptor Joseph fil. domini patris mei sapientis Saul Mortera fel. m. » Secundum librum Wolfius, qui eum tantum novit ex Aboabi litteris ad Ungerum, notat cit. vol. p. 734, esse commentationem super Purbachium, idest ut conjicit in ejus compendium syntaxeos Ptolomaicae. Quod melius ac planius nostri codicis titulus declarat: העתקת עיון הכוכבים המשרתים לגורגי פרבאגיאו תקרא שער השמים. » Versio Theoriae de stellis ministrantibus Georgii Prubachii, quae dicitur *Porta caelorum* ». Dicitur sub finem ab eodem Josepho Mortera descriptus et absolutus feria I, die III mensis chislev anni ejusdem conditi orbis 5366. Prior ille annus respondet ineunti nostro 1606, posterior exeunti 1605. Prioris operis binos Wolfius profert mss. codices, Bodlejanum ac Venetum, posterioris Venetum solum ab Aboabo visum, quem nostrum hunc esse non frustra nos videmur conjicere, qui eum a Venetis judaeis accepimus.

COD. 110

R. JOSEPHI GECATILIAE שערי אורה *Saharè orà*, *Portae lucis*, chart. rabb. fol. in. sec. XVI.

Celebre compendium theologiae cabbalisticae de divinis nominibus saepe editum, de quo Wolfius T. I p. 525, et III p. 391, cujusque bina alia exempla sub alio titulo *Libri orà*, seu *lucis* habes infra sub n.° 916 et 1228. Ad horum primum moneo Plantavitianum codicem ac binos Mediceos hujus tituli anonymos Gecatiliae esse nostrumque hunc librum complecti. Sed illud singulare, quod Mediceus posterior seu XLI plutei II, in epigraphe quam exhibet Biscionius *Bibl. heb. flor.* p. 299, dicatur absolutus die XXIV chislev an. 86 min. supp., qui in novembrem incidit an. nostri 1325,

non 1326, ut habet Biscionius. Quod neutiquam cohaeret cum iis quae de auctoris nostri aetate tradunt Jachias in *Scalsceled* fol. 63 et 115, Sabtaeus in *Siftè jescenìm* f. 96, Jechìel in *Seder adoròth* f. 61', Wolfius T. I p. 523, aliique nostri scriptores, inter quos et nuperrimus Rodriguez de Castro in *Bibl. rabb. hisp.* p. 368, qui omnes adfirmant eum floruisse extremo sec. XV. Quorum sententiae utpote comuniori et nos ipsi accessimus in recentissimo nostro *Diction. jud. auctorum* T. I p. 125. Sunt et inter eos qui eum referant inter egressos vel exules Hispaniae. At vero consulens iterum de hac re hebraeorum biographos, reperi Zacutum in *Juchasìn* f. 133 b Gecatiliae nostri aetatem amandare ad an. 5110, Ch. 1350, eumque sequi Davidem Conforti in *Korè adoròth* folio 25 verso. Observo etiam Jachiam posteriore loco priori anno 250 orbis conditi, nostro 1490, annum subjicere eversi templi 1370, qui ab illo valde discedit et in initium incidit sec. XV, ac Jechielem ipsum qui hoc observat et ut posterior annus cum priori congrueret, illum emendat in 1422, ea deinde subdere quae cum ipso pugnant et auctorem nostrum faciunt longe antiquiorem. Addit enim in praef. libri *Cheridìm* quaedam de Gecatilia nostro perhiberi nomine R. Isacci de Aco, qui discipulus fuit celebris Nachmanidis ac floruit exeunte seculo XIII et ineunte XIV. Quod propius ad epigraphem codicis medicei accederet, qui si a librario descriptus est anno 1325, saltem sub initium ejus seculi debuit ab auctore componi.

Cod. 111

AGADA' *paschatis* cum *Psal.* occurr., memb. germ. 4.° sec. XIV.

Litterae ac figurae auro minioque elaboratae.

Cod. 112

ORDO PRECUM cum Mosis *Cantico* ac *Psal.* occurr., memb. rabb. 16. sec. XV,

Cod. 113

PIRKÈ AVOTH seu *Capitula patrum,* membr. germ. in 4.° sec. XIV, vel in. XV.

Non repetimus hic summas laudes, quas celeberrimo huic tractatui, qui egregias veterum rabbinor. sententias morales selectaque apophtegmata complectitur, certatim judaei et christiani tribuerunt. Notissimus is est, nec hebraice modo sexcenties editus, sed et in plures linguas studiose translatus, a nonnullis etiam utriusque

nationis illustribus viris diligenter illustratus. A judaeis autem tanti habitus, ut in eorum *Machazorìm* et *Siddurìm* seu precum libros translatus sit, ut publice ac perpetuo ab omnibus praelegatur memoriaeque mandetur. Hinc adeo multiplicata sunt ejus exemplaria, ut saltem sexaginta novem variae aetatis nostra haec sola collectio numeret. In omnibus generatim additur, tamquam appendix vel caput vI, *Perèk*, seu *Capitulum* R. Meir, quod non ad Miscnam ipsam pertinere, sed ad Baraithòth post eam editas, monent judaei scriptores, Maimonides potissimum et Abarbanel in eorum praefationibus. Quo factum est, ut in nonnullis codicibus, ut in hoc nostro, hoc capitulum reliqua ordine sequatur, in aliis vero multis seorsim addatur, ut diversum, praemissa nota, qua monetur integrum tractatum Pirkè avòth v praecedentibus capitibus absolvi. Mirum profecto hoc a Wolfio non animadverti, nec ad eum tractatum, nec sub R. Meir, cujus sententiam notat T. II pag. 851, sed de nostro hoc capitulo profunde silet.

Cod. 114

1.° R. Biniamin fil. Jeh. *Praefatio* ad R. Mosis Kimchii *Maalàch scevilè adàhad*.

2.° R. Jehudae, dicti Messer Leon, לבנת הספיר *Livnàd asapìr, Pavimentum saphirinum*, chart. rabb. in 4.° in. sec. xvI.

Biniamini Praefat. saepius edita est in fronte Maalàch Kimchiani. Sed ineditum est quod sequitur, fusum opus grammaticum Messer Leon, dictum Livnàd asapìr, de quo Wolfius T. III p. 291 et 333, ea retractans quae parum accurate de ejus auctore scripserat I vol., variosque codices mss. recensens in bibliothecis servatos. Praecedit index sectionum et capitum, et versus quidam R. Josephi Sarkae in operis laudem, alteriusque auctoris, qui initialibus litteris sistunt nomen Abrahami. Ad calcem dicitur absolutus ab auctore liber die xvIII mensis ellul an. 214, Ch. 1454, infra vero scriptus per manus Immanuelis scribae, cujus nomen et initiales litterae versuum, qui subjiciuntur exprimunt. Anno eodem 214 R. Jehudà etiam logicam edidit sub titulo *Michlàl jophi*, ut patet ex epigraphe codicis Medicei a Biscionio relata *Bibl. heb. Flor.* p. 537, sed adeo male interpretata, ut ferat pudendo anachronismo opus absolutum fuisse, antequam inciperetur. Tradit enim ejus initium fuisse mense tebeth idest decembri an. 214, Ch.

1464, finem vero mense scebath, seu januario ejusdem anni, non animadvertens primum illum mensem annique judaici 214 initium cadere in finem anni nostri 1453. Sic mensis chislev an. 216, quo codex ille descriptus est, non cadit in annum nostrum 1456, ut Biscionius subdit, sed in praecedentem 1455.

Cod. 115

Anon. *Chidduscìn*, seu *Observationes in talmudicum tractatum Jevamòth*, membr. rabb. in 4.° sec. XIV.

In fine librarius nomen suum posuit, Isaacus Egra. Auctor incertus, ejusque observationes videntur ineditae.

Cod. 116

Anonymi ס' זיכוך *Liber zicùch*, opus medicum, chart. rabb. in 4.° sub fin. sec. XIV vel in. XV.

Absolutum ac fusum medicinae compendium, compositum, ut sub initium innuitur, a doctore academiae Montis pessulani, qui praeter ea quae continet Almansor, testatur se viginti capita aliaque plura addidisse. Sub finem Deum celebrat, qui facultatem sibi dedit componendi et absolvendi librum hunc, qui dicitur קלאריפיקאטורי ר"ל זיכוך מלאכת הרפואה: *Clarificatore, idest Explanator artis medicinae*.

Cod. 117

1.° R. Abr. ben David ס' הקבלה: *Liber kabbalae vel traditionis*.

2.° R. Scerirae תשובות *Tescuvoth*, seu *Responsa* ad R. Jacob Nissim.

3.° R. Josè ben Chelpeta סדר עולם *Seder olàm*, seu *Chronologia*.

4.° מגלת תענית *Meghillàd taanith*, seu *Volumen de jejunio*.

5.° R. Mosis Nachmanidis ס' הקץ *Liber de termino, et de redemptione*.

6.° R. Jonae Gerundensis *Epistola de poenitentia*, bomb. rabb. in 4.° an. 1344.

Multoties editus est Abr. ben David liber cabbalae, seu traditionis. Facta tamen collatione cum editione Mantuana 1514, omnium prima, ac Veneta 1545, quae ad manus sunt, plures in ms. nostro codice occurrunt discrepantiae notatu dignissimae, editisque lectionibus non raro meliores ac praeferendae. Illud etiam singulare quod primo tantum libro opus absolvitur, eorum opinioni favens, qui eum solum censent esse auctori nostro assignandum. Sed bina illi subjiciuntur folia, quae in edito non extant, et ipsius quidem auctoris, cujus nomen aperte praemittitur, » Dicit pius R. Abraham levita fil. R. Davi-

dis levitae justi, cujus memoria sit in benedictione ».. Sic non ben Dior, sed ben David appellatur auctor, ut non modo habent commemoratae editiones, sed et codices reliqui mss. R. Isaac Israelita in *Jesòd olàm* parte IV cap. XVIII, ubi hujus libri summa et compendium sistitur, habet et ipse ben David. Juchasin, quem Wolfius notat legere Dior, legit et ipse per ר, sed inserto א forma arabica דאויד, ut alii auctores habent. Sabtaeus, auctor *Korè adoròth*, aliique multi ex recentioribus auctoribus legunt ben David, et recentissimus Azulai in II parte *Scem aghedolim* f. 3 b non modo calculo suo hanc lectionem confirmat, sed et aperte definit contra *Seder adoròth* alteram ben Dior esse mendosam. Ejusmodi ergo habenda, donec non major aut melior pro ea proferatur auctoritas, deserendique Ganzius, Jachias, auctor *Seder adoròth*, Buxtorfius, Wolfius, aliique auctores nostri innumeri qui eam sequuntur. R. Scerirae gheonaei Responsis haec tituli loco praefiguntur: » Quaestiones has petiit doctor et rabbinus noster R. Jacob fil. R. Nissim fil. R. Josuae a R. Scerira principe academiae captivitatis nomine synagogae sanctae Kol kerovàn, praecepitque ut ad eum scriberent responsiones anno 1298 aerae contractuum, quae praecedit annis 552 annum quatermillesimum ». Patet hinc praeter singularem titulum תשובות, seu *Responsionis*, sub quo communiter hoc Scerirae opus appellatur, et excusum est in duplici editione *Juchasìn*, quam ad manus habemus, CPolitana ac Cracoviensi, in plurium numero vocari etiam *Tescuvoth*, ut vocat Bartoloccius, nec inepte, ut conjicit Wolfius T. I p. 1155, eum pro singulari libro quaestionum et responsionum habuisse. Patet et auctor quaestionum qui ignorabatur, et aetas libri. Auctor autem hic, R. Jacob ben Nissim, Wolfio ignotus, edidit etiam *Comm. in librum Jetzirà*, qui servatur in cod. nostro 769. Quod vero spectat ad Nachmanidis librum de termino, qui quinto loco reperitur, hoc singulare, quod in titulo sic inscribitur ס' הקץ *Liber termini*, in calce vero *Absolutus est* ס' הגאולה *Liber redemptionis, vel liberationis R. Mosis filii Nachman fel. mem.* » Unus ergo idemque est liber sub duplici titulo, non duo diversi, ut hucusque a Wolfio aliisque creditum est, unum etiam idemque argumentum et institutum, de termino liberationis per Messiam agere, ut nisi aliter aliorum nos

codicum ocularis inspectio suadeat, non videantur hi libri distinguendi. Utrumque, quod notat Wolfius T. I p. 887 et 879, profert R. Azarias in *Meor enàim*, sed quod subdit pag. 142 hujus operis integrum in primis et satis longum locum ex libro de termino produci, depromitur is ex libro de liberatione quod priorem illam conjecturam confirmat. Jonas ille, cujus epistola de poenitentia subjicitur, Gerundensis est intelligendus, cujus extat epistola sic inscripta saepissime edita. Ad calcem haec librarius addidit: » Absolutus est hic liber mense tisrì anno 105 min. supp. », seu septembri nostro anni 1344.

Cod. 118

R. Mosis Nachmanidis *Comm. in Pentat.* abbreviatus, memb. rab. in 4.° sec. XV.

Aureis litteris minioque ornatis exhibetur primum Genesis vocabulum, ex floribus et animalibus contextis initium Exodi. In postrema sectione quaedam deficiunt. Non integrum porro, sed tantum abbreviatum hic sisti Nachmanidis Commentarium, ut in aliis nostris codicibus fit, 290, 494, 508, et exigua ipsa libri moles prima fronte evincit, et comparatio cum integro opere. Quod caute a bibliographis animadvertendum est. Nam id codices ipsi in titulo plerumque non monent. Monent tamen nonnulli ad calcem, ut mei 290, 494, 508. De Nachmanide nostro ejusque operibus fuse Wolfius ad n. 1612. Emendanda tamen sunt, quae de anno ejus emortuali a Jachia in *Scalscéled* relato tradit T. I p. 876. Nam Jachias eum annum referens fol. 55 b in veteri scripto a se visum aperte tradit fuisse חח״ק 960, Ch. 1200, non 5060, Ch. 1300, ut habet Wolfius, qui proinde perperam calculum illum adversus alterum *Juchasin* defendit. Etenim si nostri Comm. in Pent. ad finem perductus anno 5028, Ch. 1268, mendi et anachronismi posteriorem calculum revincit, multo magis priorem revincit, qui nec a Jachia probatur, nec ejus auctoris dici potest. Zacutum ex alio argumento, videlicet ex Nachmanidis itinere hierosolymitano anno 5027 instituto, confutat R. David Conforti in *Koré adoròth* fol. 19. Quem annum a Nachmanide ipso prodi in oratione, quam ad sanctam eam urbem accedens, super ejus excidio composuit, infra ostendimus ad cod. 608. Conferantur quae de auctore ac singulis ejus scriptis nuper exposuimus in *Dictionario* nostro *historico jud. auctorum* T. II p. 69.

Cod. 119

1.° R. Mosis Cordoveri תומר דבורה Tomer devorà seu *Planta Deborae*.

2.° *Epistolae* variae patris ad fil. et filii ad patrem.

3.° R. Machìr אבקת רוכל *Avkàd rochèl, Pulvis aromatarii*, chart. rabb. 4.° an. 1588.

Finitus et absolutus ut legitur in fine primi libri, feria IV die XII marchesvàn an. 349, seu sub finem octobr. an. nostri 1588. Tertius liber Avkàd rochèl, de quo vide *Biblioth.* nostram *antichr.* p. 61, et *Diction. jud. auctor.* T. II p. 18, cum binis editionibus collatus, Augustae Vindelicorum an. 1546, et Veneta an. 1566, utraque rarissima, ab iisdem interdum discrepat, ut editiones ipsae discrepant inter se. Plenius tamen antichristiana loca exhibet contextus Augustanus, in quo et impiae Edom seu Romae nomen pluries legitur, quod tum in nostro hoc codice, tum in alio 147, ut in Veneta editione, omittitur. Obiter nota editionem Augustae Vindel. esse commemorati an. 1546, minoris judaeorum supp. 306, non an. 300, Ch. 1540, ut ex Sabtaeo tradit Wolfius T. I p. 761, nec 316, Ch. 1556, ut habet *Catal. biblioth. Oppenheimerianae*. Zacutus, Jachia, ac Ganzius, quos Wolfius sequitur, simpliciter nominant R. Machir. At vero quum sub initium libri III operis habeatur *Ego autem Jacob minimus* etc., non inanis oritur suspicio eundem esse cum R. Jacob ben Machir, cujus astronomica opera varia possidemus, a Wolfio relato sub n.° 1073. Nec aetas abluderet, si judaeorum chronologis ac Wolfio ipsi credendum esset, qui utrumque floruisse tradunt sec. XIV. At vero ex epigraphe cod. nostri 167, quam ad hunc codicem sistimus, colligitur posteriorem auctorem floruisse jam an. 1256, seu medio sec. XIII. Itaque si auctor noster discipulus fuit, ut summa fere consensione perhibent bibliographi judaei ac christiani, R. Jehudae fil. Ascèr, qui seipsum interemit religionis caussa an. 1391, diversus omnino statuendus est.

Cod. 120

1.° R. Peripoth Duran, vulgo *Ephodaei*, כלמת הגוים *Chelimàd agoiìm*, seu *Opprobrium gentium* cum anonymi *scholiis* et *additamentis*.

2.° Anon. תשובות *Tescuvòth*, vel *Responsiones ad viros iniquitatis* cum *scholiis*, chart. rabb. in 4.° sec. elapsi.

Inter polemica judaeorum scripta christianae fidei opposita diu notissimum ac celebre, apud hebraeos etiam

obvium, est primum illud כלימת הגוים *Opprobrium* vel *Confusio gentium*, idest christianorum, nuncupatum. Miror ergo Sabtaeum et Jechielem auctorem *Sèder adoròth* ex solo testimonio R. Josephi ben Scem Tov, Wolfium vero ex solo *Catalogo bibliothecae Lugduno-batavae* illud cognovisse. Wolfius quidem, quod magis adhuc mirandum est, ita de eo loquitur, ut de ejus existentia dubitet, subdens T. II p. 1313 ex Leidensis codicis inscriptione » forte non praeter rationem colligi librum hunc non tam singularis commentationis inscriptionem esse, quam generalem titulum variorum illorum tractatuum unico illo vol. comprehensorum, qui omnes ad idem argumentum pertineant ». Quod quam inaniter ac falso conjiciatur, ostendunt plura quae extant, etiam apud nos ipsos, libri exempla. Ac falsa haec opinio et conjectura Wolfium jam praeoccupaverat, quum primum volumen ederet, notans p. 992 aliud Peripothi epistolae exemplar cum aliis scriptis inter codices Warnerianos reperiri sub eo titulo *libri Chelimà*, huncque eundem esse, quem sub titulo pleniore *Chelimàd agoiìm*, seu *Opprobrii gentium* Ephodaeo Buxtorfius tribuerat. Hinc librum ipsum sub hoc auctore praeteriens, illum inter anonymos et quidem dubitanter, ut vidimus, recenset. Jam vero non solum Buxtorfius recte hunc librum distinxerat, sed et rectissime, ut ego quidem opinor, eum Ephodaeo assignaverat. Etenim et doctiores ipsi hebraeorum, et in dignoscendis, colligendis, illustrandis polemicis libris exercitatissimi, R. Isaacus Akrisc in praef. ad Peripothi *Epistolam Al tehi caavodecka*, et R. Scem Tov antiquior in *Comm.* ad eandem epistolam, apertissime librum Chelimà sub Ephodaei nomine producunt, ac posterior quidem multis cum laudibus, eum appellans » tractatum aestimatissimum, cui quoad perfectionem, excellentiam, pretium attinet, similem non viderit ». Ipsa porro operis exempla, ut tria quae nos possidemus, et ut puto, reliqua omnia quotquot extant, quamquam anonyma, in praefixa praefat. Ephodaeum ipsum innuunt, prodentia compositum illud esse a sapiente magno et peritissimo, qui coactus est fieri apostata, vel vim passus est, ut fieret. Quod in Ephodaeo accidisse tradunt judaei, teste Jachia in *Scalscèled*. V. superius dicta ad cod. 84, et *Bibl.* nostram *jud. auctorum* T. II p. 89. XII capitibus constat opus, quorum

I agit de intentione Jesu nunquam faciendi se Deum, II de trinitate, III de peccato originali, IV de divina lege a Jesu non destructa, sed confirmata, V de christianorum dogmatibus et fundamentis, VI de eucharistia, VII de baptismo, VIII de romano pontifice, IX de Maria matre Jesu, X et XI de erroribus et hallucitationibus Jesu et discipulorum ejus, XII de hallucinationibus Hieronymi. V. *Bibl.* nostram *jud. antichr.* p. 90. Quae adduntur scholia seu additamenta ad unumquodque caput, ea auctorem habent incertum et recentiorem, qui הכותב seu scribentis nomine se vocat. Ex verbis tamen קול יעקב quae tum in praefatione, tum in carmine illi subjecto habet, videtur procul dubio Jacobus quidam fuisse, idemque cum eo qui scholia adjecit ad scriptum aliud antichristianum ac nefandum, quod sequitur, *Responsionum ad viros iniquitatis*, quo quinque continentur responsa ad totidem christianorum objecta. De eo sub peculiari eo titulo nihil Wolfius, sed idem videtur cum *Responsis adversus corruptores* nobis oppositis, quae mss. extant Tiguri in bibliotheca Carolina, teste Hottingero in *Biblioth. orientali*, et in *Thesauro philologico*, ac Wolfio T. II p. 1472.

Cod. 121

R. Mosis Coèn *Ezer emunà, Munimen fidei*, chart. rabb. 4.° an. 1698.

Ad calcem: » Fuitque finis ejus feria tertia die V ellul an. 458 m. supp. «. Absolutissimum operis exemplar pleniusque iis quae supra recensuimus sub n.° 28 et 74.

Cod. 122

1.° R. Peripoth Duran, vel Ephodaei *Chelimàd agoiìm, Opprobrium gentium* cum anon. *additamentis*.

2.° Anonymi *Tescuvòth*, seu *Responsa ad viros iniquitatis*, chart. rabb. in 4.° anni 1698.

Eadem polemica scripta continet codex hic, quae cod. 120, ad quem dicta conferantur. Ad calcem dicitur » absolutus feria III die XIX mensis ellul anni 458 «. Idem amanuensis cum amanuensi praecedentis codicis, cum quo et noster hic est compactus.

Cod. 123

R. Jacobi fil. Machir *Commentarius in astrolabium* hebraice versus, memb. rabb. 4.° min. sec. XIV.

Ad calc. » Absolutus est liber Commentarii astrolabii, quem ex arab. hebraice vertit sapiens magnus R. Jacob quem Deus tueatur, filius

r. Machir fel. mem.» Qui ergo codices librum Jacobo ben Machir absolute tribuunt, ut alter e nostris 306, ei non ut auctori tribuunt, sed ut interpreti. Eundem opinor cum libro de astrolabii constructione et usu qui extat in Bodlejana in cod. 440, notatque Uri *Catalogus* p. 86 Jacobum nostrum ex arabico convertisse ac continere capitula xl. Eum porro ab altero nostri auctoris opere רובע ישראל *Quadrans israelis* inscripto, quod de astrolabii quadrante agit, esse diversum patet ex eodem *Catalogo* ac codice Bodlejano, quo bina haec opera ut diversa comprehenduntur et recensentur. Wolfius seorsim non recenset, illud unum notans t. I p. 666 posterius extare cum comm. inter codices Laudanos, qualis Bodlejanus ille est, ex quo et illud edere parabat Edvardus Bernardus. De reliquis Machirii nostri scriptis consulantur quae diximus in *Bibl. jud. auctorum* t. I p. 133.

Cod. 124

1.° Anonymi *Toledòth jescù, Generationes Jesu.*

2.° Ephodaei *Chelimad agojìm, Opprobrium,* vel *Confusio gentium.*

3.° Anon. *Tescuvòth, Responsa ad viros iniquitatis,* chart. rabb. in 4.° sec. xvii.

De singulis supra diximus ad codices qui alia eorum exempla suppeditant.

Cod. 125

R. Sal. ben Adèred dicti Arisba', תורת הבית *Toràd abàith, Lex domestica,* membr. et chart. rabb. in 4.° min. sec. xiv.

Celebris multique apud judaeos pretii et usus liber plūries editus, de quo Wolfius sub n.° 1945. Quatuor alia ejus apographa suppeditant cod. 152, 650, 1223 et 1255. Auctorem anno 5040, Chr. 1280, floruisse notat *Scalscèled* fol. 58, ex eoque Wolfius t. I p. 1033, qui et animadvertit t. iii p. 1019 ex r. Samuelis filii Isaaci Algasì testimonio sibi ab Ungero significato illum an. 5068, Ch. 1328 obiisse. Corrige 1308, ut fert aera praecedens orbis conditi. Eum enim jam ante an. 80, Ch. 1320, fato fuisse functum aperte demonstrat nota cod. 650. V. eam notam et *Bibl.* nostram *jud. auctorum* t. I p. 39.

Cod. 126

1.° Anonymi *Liber* הישר *ajascàr,* vel *recti.*

2.° Veterum regum *Sententiae ac praecepta,* chart. rabb. in 4.° min. sec. xiv.

Primus liber metricus 13 sectionibus constat, ex quibus tamen solas novem ama-

nuensis descripsit. Agit in iis de ratione vitae instituendae, docetque, quomodo vir dives, pauper, juvenis, senex, simplex, justus, impius, conjux, ducere se debeat. Nescio an idem sit cum opere hujus tituli R. Sabtai Carmuz levitae, ubi de anima gubernanda et imagine hominis per certas meditationes praecipitur, quod in Vaticana ms. extat, memoratque Wolfius T. I p. 1026. Quod sequitur opusculum, nullo peculiari titulo insignitur, sed varias, plerumque decem, veterum regum sententias ac praecepta continet, praemisso majoribus litteris quadratis cujusque regis nomine cui tribuuntur. Qui agmen ducit, est Bildad rex cuthaeorum, sequuntur Cyrus rex medorum, Amraphel rex Senaar, Darius rex persarum, Chedorlahomer rex Elam, Eliphaz rex Zorphad, Rehuel rex Temàn, Pharao rex Ninive, Assuerus rex Togarmae, Chazael rex Assyriae, Naaman rex Damasci, Alexander rex graecorum, Sisara rex Canaan, Arioch rex Hispaniarum.

COD. 127

R. MOSIS NACHMANIDIS ויכוח *Vicùach*, seu *Disputatio cum fratre Paulo*, membran. rabbin. in 4.° ineuntis seculi XIV.

In *Telis igneis satanae* eam edidit Wagenseilius, sed ab initio mutilam, qualem exhibebat ms. argentoratense. Integerrimam qualem in CPolitana collectione scriptorum antichristianorum recudit Abraham Romanus, sistit noster codex, et quidem utraque editione pleniorem ac interdum diversam. Suspicatus est olim Basnagius acta haec non ab ipso Nachmanide, sed ab alio recentiore judaeo esse profecta ob plures germanicas voces insertas. Sed suspicio haec ex ms. meo codice ac CPolitana editione luculenter diluitur, in quibus voces illae apertissime absunt, ostenduntque totidem eas esse argentoratensis illius codicis et germani descriptoris interpolationes. Sic et Leidensis *Catal.* hanc Disputationem recensens pag. 289 פריאי פול *Frae Paul* in *Prifolium* corrupit.

COD. 128

R. MOSIS CORDOVERI *Comm.* ineditus *in Threnos*, chart. rabbin. in 4.° sec. XVI.

Eum omittit Wolfius, etsi sat diligentem in insignis hujus cabbalistae operibus enumerandis operam posuerit.

COD. 129

1.° R. SAM. NAGHÌD *Carmina*, ex ejus libro בן משלי *Ben mislè* deprompta.

2.° R. Mosis fil. Sabtai *Poema*.

3.° R. Jeh. fil. Mosis fil. Danielis *Comm. in Gen.* I et II cum sacro textu.

4.° Maimonidis *Jesodè torà*, seu *Fundamenta legis* cum R. Jehudae fil. Mosis *Comm.* בן פורת *Ben poràth*, seu *Filius germinans*.

5.° Ej. *Expositio Kadisc*.

6.° Anon. *Comm. in Orationem Habacuc*, memb. et bomb. rabb. in 4.° sec. xiv.

Inedita omnia ac rarissima. Praecedunt « Carmina descripta ex libro Ben mislè seu Filius proverbiorum, quem composuit sapiens cl. R. Samuel Naghìd ». Auctorem et librum memorant Buxtorfius, Bartoloccius, Sabtaeus ex iisque Wolfius T. I p. 1112. Antiquum ac celebrem hunc grammaticum librum etiam scripsisse contra R. Jonam ben Ganàch Wolfio aliisque bibliographis ignotum monet inedita Parchonis praefatio cod. 1038. Binos itaque libros hic habes ex duobus ac viginti, quos Samuelem nostrum scripsisse monet Aben Ezra in *Jesod morà*. Quibus tertius accedit *Mevò aghemarà*, seu talmudicae Introductionis pluries editus ejusque nomine inscriptus, si is quidem, ut videtur, idem est auctor. Diversum ac recentioris aevi puto Samuelem Naghid fil. Davidis, cujus memorat novus Uri *Catal.* Bodlej. p. 27 ad cod. 152 Commentarium Numer., eundemque cum eo, cujus Com. in Pent. extat in Mertonensi. V. Wolf. T. I. p. 1092. Brevius est quod sequitur Poema R. Mosis fil. Sabtaei, fil. Menachem fil. Mosis fil. Biniamini, qui et scholia addidit ad librum Ben poràth, et videtur codicis scriptor, idemque cum eo, cujus annotationes in anonymi tractatum de existentia Dei et attributis divinis, ut in Vaticana existentes, producit Wolfius T. I p. 897. De R. Jehuda fil. Mosis fil. Danielis Romano agunt Bartoloccius ac Wolfius T. I p. 448, inter cetera ejus opera recensentes quidem expositionem Kadisc, quae sub alio titulo ביאור התפלות, seu *Expositionis precum* extat etiam in Medicea, sed profunde silentes tum de ejus Comm. in priora Genesis capita, tum de alio Ben poràth, nisi sub generali tractatuum philosophicorum, quos sub n.° 3 innuit Wolfius, titulo comprehendantur. Extat prior, sed fine mutilus, in Vatic. cod. Palat. 191, et in 289, secundus vero Ben porath etiam in cod. nostris 286 et 315, in quibus is in IV capita dividitur. Pertinet autem ad illustrationem Maimonidis Constitutionum *Jesodè torà*, seu *de*

fundamentis legis, quae primae ordine occurrunt in celeberrimo ejus *Jâd*, seu compendio Talmudis. Maimonidis textus litteris exaratus majoribus ac quadratis, commentarius vero rabbinicis et minoribus. Singula haec aliaque auctoris nostri opera breviter indicavimus in *Dict. hist. jud. scriptor.* T. I p. 144.

COD. 130

1.° R. ELIEZER FIL. HIRCANI ארחות חיים *Orcòth chaiim Semitae vitae*.

2.° ANON. *Comm. cabbalisticus in Agadà paschatis*.

3.° R. TODROS LEVITAE טעם דבש *Tàham devàsc*, seu *Gustus mellis*.

4.° R. JOSEPHI BEN SARGA *Comm. in* XVIII *benedictiones*.

5.° R. MARDOCHAEI DATI *Epistolae* ad Ezram de Fano.

6.° R. JOSEPHI CHAZACH *Epistola* diffusa ad eundem Ezram de Fano.

7.° *Decisiones* nonnullae variorum rabbinorum.

8.° ANON. *Opusculum cabbalisticum de* X *Sephiròth*.

9.° ANON. *Opuscul.* aliud *cabbal.* chart. rabb. 4.° sec. XVI.

Primum opus editum, reliqua omnia inedita ac pleraque ignota. In titulo tertii opusculi quod et ipsum cabbalisticum est, auctor per rascè tevòth, seu initiales verborum litteras nomen suum prodit *Todros allevi*. Sargae Commentarius idem videtur cum ejus Comm. in preces, qui extat in Parisiensi, teste Wolfio T. III p. 396, sed non idem auctor, ut ibidem putat Wolfius, cum Sarka. Dati epistolas testatur in fronte Esdras ad se fuisse conscriptas, quod demonstrat propria ejus manu earum exhiberi exemplar. Ab eo videntur quoque descripta praecedentia. Chazachi epistola data est e Vitelliano, seu *Viadana* an. 333, Chr. 1573, estque et ipsa autographa. Esdram Fanensem ad quem tum haec, tum priores epistolae datae sunt, tamquam sapientem et incolam Mantuanum laudat Azarias in *Meòr enàim* et ex eo Wolfius T. I p. 943. Postremum opus videtur sec. XV.

COD. 131

R. JEDAJAE PENINÌ, sive R. SAL. GAVIRÒL מבחר הפנינים *Mivchàr appeninìm*, *Delectus margaritarum* cum anonymi *Comm.* chart. rabb. 4.° min. sec. XV.

Morale hoc opusculum magnae celebritatis selectissima veterum philosophorum ac sapientum exterarum nationum apophtegmata, sententias, praecepta complecti, hebraice primum Soncini excusa, ac pleraque Drusio, Plantavitio, Erberto latinitate donata, diu a nobis ani-

madversum est *De heb. typogr. orig.* p. 18, ubi et notavimus a nonnullis R. Salomoni ben Gaviròl, ab aliis Jedajae nostro, eloquentissimo scriptori, vindicari. Nos posteriorem opinionem, quae est Sabtaei, auctoris *Seder adoròth* ac plerorumque christianorum olim secuti sumus ac nuperrime etiam in *Biblioth. jud. auctorum* T. I p. 124, scribentes majori jure a Jedaja credi concinnatum. Jam vero quamquam ex octo quos nostra haec collectio suppeditat, mss. hujus libri codicibus nullus sit qui rem definiat, prodatque collectorem et interpretem, non dissimulamus, si hujus libri interpres est revera R. Jehudà aben Tibbòn, potius R. Salomoni ben Gaviròl, quam Jedajae Penninì esse tribuendum, qui Jehuda Tibbonide est longe recentior. Eum autem a R. Sal. ben Gaviròl arabice primum conscriptum fuisse, et a Jeh. Tibbonide hebraice translatum tradit R. Joseph Kimchì, Davidis pater, in ms. שקל הקודש *Sekel akkòdesc*, teste Buxtorfio in *Bibliotheca rabb.* p. 110 edit. Herborn. 1708, ac *Catalogus* Oppenheimeri, hoc ipsum recensens Josephi Kimchì opus, notat illud sistere Gavirolii Mivchàr appeninìm a Kimchio in poesim redactum. Quod priorem sententiam confirmat, quum Kimchius Jedajae aetatem longe praecesserit. Bartoloccius pro Juda habet Moses Tibbonides, qui centum annis est Juda posterior, propiusque ad Jedajae aetatem accedit. Contendit tamen et ipse, ut et Wolfius, eum Salomoni ben Gaviròl deberi. In qua sententia propter gravissimam Kimchii auctoritatem, donec gravior non producatur, nobis esse modo acquiescendum putamus. Soncinensis editor R. Sal. Bonfoy, qui multa de hujus libri laudibus subjecit, illud unum notat eum graecos sapientes composuisse, et ex ismaelitarum lingua, seu arabica, qua primum prodiit, a religionis suae doctoribus fuisse in hebraicam conversum. Septem codices inscribuntur Mivchàr appeninìm, unus, videlicet 571, *Muvchàr mippeninìm, Electior* vel *charior margaritis*. Nostri codicis Comm., anonymus et ipse, idem est cum eo, qui in Soncin. editione extat.

COD. 132

1.° R. MENACHÈM BEN SARUK מחברת *Mechabbereth*, seu *Lexicon hebr.-biblicum*.

2.° R. DONAS *Supplementa* vel *Animadversiones ad idem Lexicon*.

3.° ANON. Opusc. *De litteris defectivis et redundanti-*

bus, membr. rabb. 4.° sec. XIII, vel in. XIV.

Omnia inedita, ac de primo quidem opere, antiquissimo et aestimatissimo, fuse agit Wolfius T. I p. 770, et III p. 692, ex ms. Morgenwegiano non exiguam praefationis partem describens. Sed ipse, ut et ceteri omnes vel fere omnes bibliographi, appellant *Mechabberòth*. Quo nomine appellari optime posse non diffitemur, quum totidem constet alphabeti litteris, quarum quaevis Mechabbèred inscribitur. Malumus nos tamen ex mss. auctoritate singularem numerum *Mechabbèred*, ut veriorem ac primigenium restituere. Ita legit in fronte et ad calcem noster hic codex, ita bini a Wolfio producti, Morgenwegianus et Berolinensis, ita R. Paròhon Sarukianum Lexicon memorans, ut infra videbimus ad cod. 1038, ubi pravam Wolfii lectionem emendamus. Sic tandem in sing. pro ejus aetatis more inscripta sunt ejusdem plane tituli Lexica R. Sal. ben Parchòn, et R. Sal. Katon, ut ad cod. 764 et ad eundem 1038 ostendimus. Nec meo quidem judicio sat certus est alter titulus לשון למודים *Lescòn limudim*, seu *Linguae eruditorum*, quo a Sabtaeo, Wolfio, Fabricio aliisque ex praef. initio insignitur. Etenim titulus est hic honoris linguae, quae illustranda suscipitur, ut et ceteri plures qui sequuntur, non libri, ut cuique patet legenti integrum contextum vel apud Wolfium ipsum posteriore loco, vel apud cl. Fabricy *Titres primitifs* T. II p. 247, qui multa habet de hujus Lexici praestantia ac laudibus, meritoque redarguit auctores *Catalogi mss. bibl. Parisiensis*, qui ad cod. 481 illud jampridem editum dixerant. Qui Wolfio utuntur, notent in epigraphe quae subjicitur, cod. Berolinensis verba ביום ג' שבת pravissime verti *die tertio qui erat sabbatum*. Significant enim *feria III hebdomadae*, quam sabbathi nomine vocari in epigraphis codicum adeo obvium notumque est, ut mirer Wolfium in iis legendis exercitatissimum potuisse caespitare. In ea autem praef. sat diffusa, quam verius dissertationem vel introductionem dixeris, totus est Menachemus noster, ut post tributas eximias linguae hebraicae laudes, quam eruditorum linguam appellat, labium excellentiae, effatum selectissimum, eloquium pulcherrimum, et elegantiorum omnium primum, linguam purgatissimam, et reliquis omnibus, quibus a die divisionis potiti sunt homines, prae-

stantiorem, linguam sanctam ore Dei ejusque digito ac lege in Horeb ac Sinai consecratam, agat de litteris radicalibus ac servilibus, et de grammatico ac vario earum usu et syntaxi. Quod argumentum ex excerpto ipso, quod praemittit, accuratius Wolfius exponere poterat, qui subdit agi in genere de dono linguarum a Deo hominibus concesso, in specie vero de lingua hebraea ejusque conditione. In operis progressu notat codex, ad marginem potissimum, loca in quibus Donas dissentit ac Menachemo contradicit, eo vero absoluto ipsius Donas animadversiones vel supplementa subjiciuntur, praepositis tituli loco verbis *Descripsi ex Mechabbered Donas et Menachem*, hoc est, ut interpretor, ex Mechabbèred Menachem, quod Donas supplementa, observationes, correctiones habebat adnexas. Quod et dicendum videtur de Lexico R. Donas quod sub titulo שרשים ex testimonio libri *Likutìm* profert R. Azarias de Rubeis in *Meòr enàim* fol. 102, nisi malis illud de parte, vel radicibus quibusdam interpretari. Quidquid sit, hodie integrum, quod sciam, ejus Lexicon nullibi extat. Nam Azulai qui et ipse illud commemorat in parte II *Scem aghedolim* f. 4 b ut a se visum in codice regiensi Biniamini Foà, Parchonis Lexicon quod eo continetur, cum nostro confudit. Haec autem supplementa septem foliis absolvuntur, continentque eas voces, de quarum significationibus bini hi celebres grammatici et interpretes dissentiebant, subjecta ad calcem expositione nonnullarum prophetiae Danielis, quae videntur obscuriores, nonnullisque responsis ad christianorum objecta. Extant porro criticae hae animadversiones R. Donas non modo Sarukianis Lexicis additae, quorum exemplar alterum producit Sabtaeus, sed et seorsim conscriptae in Vaticana ac Leidensi, teste Bartoloccio, ac Wolfio T. I pag. 332, qui non erat, cur dubitaret per Menachemum a Sabtaeo memoratum ben Saruk nostrum esse intelligendum in alphabetico scriptorum indice ab altero ben Jacob perperam ab illo distinctum. Quod ad Vaticanum tamen spectat exemplar, nota male in *Catal.* T. I p. 376 ejus titulum verti *Animadversiones in Grammaticam R. Menachem filii Saruk*, quum hebraica verba תשובות מדקדוק *grammaticae Responsiones*, vel *animadversiones*, essent vertenda. Postremi critici operis nulla

apud Wolfium indicia. Decem constat foliis, auctor antiquus, nullus coaevus profertur scriptor vel liber, unico excepto R. Abraham Nakdan et ipso ignoto. Ad calcem *non reperi aliud*. Sequitur ordo vocum mètegh instructarum, et ut punctis, ubi occurrit, ornatur nomen Josephi, patet jam codicis scribam Josephum quemdam fuisse.

Cod. 133

R. Abr. Aben Ezrae *Comm. in Pentat.* membr. rabb. 4.° sec. XIV vel in. XV.

Extant ad marg. crebra scholia, emendationes, variationes ex aliis mss. depromptae. Sub initium Gen. XVIII, seu sect. *Vajàr elàv* recentiori manu restituta sunt verba christianis opposita, quae antea fuerant abrasa. » Qui errant spiritu, asserunt Deum habere tres personas, eumque unum esse et trinum, nec separari, obliti quod venerunt duo angeli Sodomam». Integrum habebat etiam ex prima manu textum alterum, pariter antichristian., quem habet Aben Ezra ad XXVII 40. » Fueruntque homines numero pauci qui crediderint in virum quem constituerunt Deum, quumque credidit Roma in diebus Constantini qui innovavit omnem religionem, posuitque super vexillum suum imaginem crucifixi per manus sacerdotis edomaei, vel christiani, non fuerunt in mundo qui custodirent novam legem nisi pauci edomaei, idcirco vocatur Roma regnum Edom ». Utrumque autem textum exhibent et reliqui omnes nostri codices hujus Commentarii, sane non pauci, sed in omnibus vel fere omnibus abrasos vel deletos, posteriorem potissimum, in quo et exigua aliqua extat in nonnullis lectionis varietas. Leguntur quoque in primaria editione Neapol. anni 1488, et in duabus CPolitanis an. 1514 et 1522, ut et in Veneta prima Bibliorum rabb. Jacobi Chaiimi, quae omnes apud nos sunt, quemadmodum in *Annalibus* nostris *XV seculi* ad priorem illam observavimus. Ad calcem: *Laetetur ejus scriptor, et exultet lector. Amen*. Deinde tribus paginis subjicitur seriori manu, et exiliori inelegantique charactere anonymi expositio in auctoris nostri Comm. in I Exodi sectionem, ubi de divinis nominibus agit.

Cod. 134

1.° R. Isaaci Alphesì fil. Jacobi *Opus Alphesi*, seu *Compendium Talmudis cum duobus Commentariis*.

2.° R. Isaaci Alphesì fil. Ruben שערים *Saharim*, seu

Sectiones de juramentis, membr. in fol. in. sec. xv.

Splendidissimus codex aureis sub initium litteris elegantique ornatu condecoratus, qui et in fronte cujuslibet tractatus et capitis conspicitur. Luculento charactere quadrato exaratus est Alphesii textus, rabbinico commentarii qui hinc inde prostant, et sectiones de juramentis. Commentarii illi, hic anonymi, Rascii et Nissim esse videntur, cum textu ipso saepissime excusi. De celeb. hoc Alphesii opere fuse agit Wolfius T. I p. 661 et III p. 570, de nepotis vero Saharim T. I p. 691. Brevius nos de priori illo in *Bibl. jud. auctorum* T. I p. 45.

Cod. 135

R. Levi Gerson. מלחמות השם *Milchamòth ascèm*, *Bella Dei*, bomb. rabb. in fol. 2 col. sec. xiv vel in. xv.

In fine haec extat auctoris nota: » Hicque explicit quod in hoc libro constituimus inquirere. Fuit autem finis ejus die vII mensis scebàt an. 89 sexti millenarii a creatione mundi ». Quaedam etiam partes operis habent designatum tempus, quo sunt absolutae. Porro ex contextu ipso patet manifestissime auctorem in ea epigraphe loqui, non amanuensem, et de libro, non de codice, esse exponendam. Errat ergo Wolfius T. I p. 729, qui Vaticanum codicem eandem auctoris epigraphem sistentem anno 1329 ipsoque adeo auctore superstite exaratum arbitratur. Quod parum accurate a se dici vel ex ipso quod subdit Algazaei testimonio noscere poterat, et ex Tridentina editione, in quibus ille annus legitur, non descripti, sed compositi operis. In hunc errorem lapsus est et cl. Pasinus in descriptione codicum Taurinensium, notans ad cod. 10 praestantiam ejus codicis ex eo maxime elucere, quod auctore scriptus sit adhuc superstite, eo quod multis in locis seu ad fin. variorum tractatuum anno illo 1329 dicatur exaratus. Celebre hoc opus in sex partes distributum ac plura capita, quae philosophice disserunt de animae immortalitate, de scientia futurorum ac prophetia, ac naturalibus ejus caussis, de Dei scientia, ac providentia, de corporibus caelestibus, ac creatione mundi, extat etiam ms. in Vaticana, in Bodlejana, Medicea, Colbertina, aliisque bibliothecis et in nostra hac in tribus aliis codicibus.

Cod. 136

1.° R. Josephi Albo *Liber* עקרים *ikkarim* vel *fundamentorum*.

2.° R. Isaaci Abrabanelis עטרת זקנים *Atèred zekenìm*, *Corona senum*, chart. rabb. fol. an. 1479.

Celeberrimum utrumque opus pluriesque editum. Sed primum, quod de judaicae religionis articulis agit ac pro antichristiano habendum est, celebrius. Plura de eo nos in *Bibl. jud. antichr.* p. 14 et in *Dictionar. hist. hebr. auctor.* T. I p. 48, nec non Wolfius T. I p. 503, III p. 381, et IV p. 848, ubi non erat cur de Ariminensi editione an. 1486 ab Orlandio memorata dubitaret, quae est aperte falsissima et cum Soncinensi confusa. Caput XXV tertiae partis nobis oppositum, plerumque recisum, in hoc nostro codice extat, sed multa habet obliterata. Occurrunt passim notae marginales, et sub finem haec nota: » Finitum est porro opificium sanctum hujus libri, qui in israel appellatur liber fundamentorum, quia continet fundamentum religionis et propugnaculum fidei nostrae sanctae, per manus minimi in familia sua Josephi Hispani fil. Jacobi Hispani hodie feria V die XXVI tamuz an. 239 scripsique eum ad usum cl. Eliezer viri Nortzi, vel Nurziani ». Rariores sunt Abrabanelis codices XV decurrente seculo exarati, quum pleraque sua opera auctor nonnisi sub finem ejus seculi vel in. sequentis elucubraverit. At vero nostrum *Atèred zekenìm* se adhuc juvenem composuisse testatur Abrabanel ipse in *Rosc amanà*, quod nescio cur ex Bartoloccio Wolfius non monuerit, ac propterea mss. ejus operis codices in bibliothecis comparent. Nostra sane tres enumerat, inter quos noster hic eminet, non modo vivo auctore conscriptus, sed ea aetate, qua vix annum attigerat primum ac quadragesimum, reliquisque operibus manum adhuc non admoverat. Celeberrimi Abrabanelis fata et scripta notissima sunt, de iisque plura nos in commemorato *Diction. jud. auctor.* T. I p. 19 ac seqq. et infra ad cod. 658 animadvertimus, in quibus reliquorum bibliographorum observata pro more nostro supplemus et corrigimus. Notissima etiam quae de regia ejus stirpe ex Davide oriunda praedicant hebraei, quibus unicum Zacuti testimonium sufficiat opponere. Scribit enim in libro *Juchasin* fol. 125 b editionis Cracoviensis post mortem R. Chaijae ben Aldavid, qui necatus est et sepultus in provincia legionensi an. 4914, Ch. 1154, » nullum in Hispania remansisse virum notum qui esset de domo David ».

Cod. 137

R. Josephi fil. Eliezeris fil. Josephi פענח צפנת *Tzaphnàd paaneàch, Revelator arcanorum*, seu *Expositio comm. Aben Ezrae in Pent.* chart. rabb. fol. sec. xvI.

Inter plures libros hoc eodem titulo inscriptos bini extant, quorum alter conciones in Pent. complectitur, isque editus, alter expositionem Comm. Aben Ezrae. Sed prior est R. Josephi de Trani, nec aetas, nomen, ratio ipsa operis cum nostro congruunt, posterior qui propius accedit, et ineditus, tribuitur a Wolfio T. I p. 1127 R. Scem Tov filio Isaaci Sciphrùt vel Spròt. Nisi ergo in nomine erratum ab eo sit, ab utroque diversus est noster hic codex et liber, et Wolfio ignotus. Forte tamen auctor est Joseph ille filius Eleazaris hispanus et Caesaraugustanae synagogae judex, cui Tabulas astronomicas ut in Vaticana extantes, refert Bartoloccius. Sub initium praef. ait se esse ex exulibus Hierosolymitanis, qui sunt in Hispania, ac per annos multos urbem sanctam ac Palaestinam inhabitasse, hocque opus suscepisse, ut votis satisfaceret R. Davidis Naghid filii Josuae. Extat etiam in Oppenheimeriana, ex cujus *Catalogo* f. 19 b constat Josephi nostri esse filii Eliez. hispani, non Eliez. filii Nathanis Moguntini, ut falso credidit Jachias in *Scalsceled* fol. 49 b, et Wolfius T. III p. 114 ex illius codicis titulo perperam lecto.

Cod. 138

R. Jehudae Nassi dicti Akkadòsc, seu Sancti משנה *Miscnà*, seu *Opus Misnicum orales tradition. complectens*, memb. germ. f. 2 col. sec. xiiI.

Jehudae Sancto inscribimus, ut operis compilatori. De opere ipso celeberrimo divinaeque apud judaeos auctoritatis et fidei sat multa omnes bibliographi nosque ipsi in nuperrimo *Dictionar. hist. jud. auctor.* T. I p. 145. Nostri hujus codicis sive antiquitatem spectes, sive calligraphi operam ac diligentiam, sive marginales notas et emendationes, quae identidem reperiuntur, non exiguum est pretium ac laus. Punctis vocalibus exornatur usque ad dimidium operis.

Cod. 139

Anonymi ספרא *Siphrà*, seu *Toràd acoanìm, Lex sacerdotum*, vetustissimus *Com. in Leviticum*, membr. germ. fol. 2 col. sec. xiiI.

Antiquissimum opus, summaeque apud judaeos auctoritatis, de cujus auctore dissentiunt, sed quod plerique

ex ore R. Jeh. Elai a Rav compilatum autumant. Vide Wolf. T. II p. 1387 et *Diction.* nostrum *jud. auctor.* T. II p. 127. In nostro codice posteriori titulo inscribitur תורת הכהנים seu *Legis sacerdotum*, exhibetque passim interlineares notas ac mutationes, quae criticum ejus usum ostendunt in vera textus lectione constituenda.

Cod. 140

1.° R. Nathan fil. Jechiel ס' ערוך *Arùch*, seu *Lexicon talmudicum*.

2.° R. Samuelis Gamah fil. R. Jacob *Opusculum super Arùch*, vel in ejus supplementum, membr. germ. fol. an. 1296.

Quo celebrius est talmudicum Nathanis Lexicon, eo ignotius est quod in ejus supplementum et explanationem subjicitur Samuelis, cognominati גמע Gamàh, seu ut ibi exponitur אוצר collectoris, opusculum. Nulla enim ejus vestigia inveni. Sub finem Lexici, de quo plura Wolfius T. I p. 921, et III p. 850, ac nuper nos ipsi in *Biblioth.* nostra *jud. scriptorum* T. II p. 76, majoribus litteris quadratis hisp. diserta legitur librarii epigraphe: » Absolutus est liber Arùch . . . Ego Jossiphia scriba filius Astori conscripsi libr. hunc Arùch pro R. Meir filio cl. R. Mosis quem Deus tueatur, in insula quae extat super flumine Sorgae, complevique illum mense ijar anno 5056 a creatione mundi ». Intacta servat loca quae Jesum nostrum vel christianos respiciunt. Sed sub voce נשם pro שום ישו הנוצרי, videlicet *mussitavit illi nomen Jesu Nazareni et respiravit, idest restitutus est spiritus ejus* vel *revixit*, ut legunt editio Pisaurensis ac Bomberg., codex noster legit משום ישו בן פנדירא *nomine Jesu filii Pandirae*, ut habet princeps hujus operis edit. sine an. et l., et codex alter noster 1130.

Cod. 141

1.° R. Abr. Abùlaphiae סתרי תורה *Sidrè torà*, *Arcana legis*.

2.° Ej. *VII Semitae legis*.

3.° Ej. de *Cabbala, ejus praestantia, ac variis speciebus*, chart. rabb. 4.° sec. XVI.

Cuncta inedita. In primo opere auctor summam exponit et argumenta sectionum Genesis, et cabbalistice in selecta ac secretiora loca commentatur, arcanos eruens sensus ac mysteria. Is dicitur etiam ס' מפתחות *Liber clavium*, cauteque distinguendus est ab altero auctoris nostri opere *Morè ammorè*, seu *Comm. in Morè nevochìm*, quod in mss. nonnullis codicibus, ut in nostris 286 et

1228, eodem titulo *Sidrè torà* appellatur. Quod sequitur opusculum שבע נתיבות תורה, quo varii exponendae legis modi recensentur, ac tertium, utrumque ignotum. In *Sidrè torà* praeter *Comm. libri Jetzirà* auctor aliud suum opus memorat אוצר עדן גנוז *Thesaurum paradisi absconditum* et ipsum ignotissimum. Notat *Seder adoròth* f. 160 Abulaphiam fecisse se in Sicilia prophetam et messiam, et de eo scripsisse Arisbà *nomen impiorum putrescat*, ejus autem scripta cabbalistica a R. Jehudà Chijat in praefat. ad *Minchàd jehudà* vituperari.

Cod. 142

1.° Anonymi *Comment. in* Maimonidis *Morè nevochìm*.

2.° R. Scem Tov fil. Josephi fil. Palkirae מורה המורה *Morè anmorè*, seu *Comm.* alter *in More nevochìm*.

3.° Ej. *Dissertatio apologetica libri Morè*, bomb. rabb. fol. min. an. 1470.

Incertus auctor primi Commentarii. Sed secundus diserte nomen suum, librique titulum pandit in praef., ubi et Comm. suum memorat in Scripturam. Ad calcem tria addidit capita in quibus vel supplet librum Morè, vel editam ejus versionem hebraicam illustrat et emendat, deinde notat absolutum esse hunc suum Comm. anno mundi 5040, Ch. 1280. Eum excipit ejusdem auctoris Apologetica libri Morè, cujus occasionem sub initium prodit. Etenim quum anno 5050, Ch. 1290, rursus rabbini quidam galli contra hunc librum insurrexissent, ac Nassì, captivitatis princeps, qui Damasci degebat idque intellexerat, cum consessu suo, ut et universae orientis synagogae et rabbini Acco, litteras anathematis dedissent contra quoscumque, qui Maimonidis scripta carperent, quae Barcinonem primo, dein ad auctoris nostri patriam delatae sunt, testatur is se earum lectione fuisse excitatum ad hanc dissertationem parandam. De singulis hisce Palkirae nostri operibus nihil sub n.° 2155, ubi de eo agit, Wolfius, sed sub seq. n.° 2156 alteri Scem Tov filio Josephi tribuit Comm. in Morè, qui et in editione Veneta ac Sabionetensi excusus est, monens praeterea T. III p. 1135 eum ms. reperiri in bibliotheca regia, nunc nationali, Parisiensi sub ipsissimo nostri titulo *Morè ammorè*, seu *Doctor doctoris*. Non inanis hinc oriri cuipiam posset conjectura unum eundemque esse auctorem in duos perperam distinctum, et unum eundemque esse commentarium. Sed auctor noster aperte se appellat *Scem*

Tov fil. R. *Josephi fel. mem. ben* צלקיריה *Palkeria,* quod pro *Palkira* parum accurate, ut in cognominibus fieri solet, ab amanuensi descriptum esse non dubito. Contra auctor editi vocat se Scem Tov filium Josephi filii Scem Tov fil. Scem Tov, praefatio et contextus ipse discrepant, discrepat et aetas, quum ms. Comm. auctor floruerit sec. XIII, editi vero sec. XV, sive anno 1430. Patet enim ex epigr. illa absoluti operis anno 1280 nostri aetatem non modo ad an. 1509 amandari non posse, ut turpi anachronismo in I vol. p. 1125 praeeunte Sabtaeo fecerat Wolfius, sed nec ad an. 1409, quem ipse restituit vol. III p. 1133. Diversus ergo habendus est auctor et commentarius, ac proinde qui sub eodem titulo מורה המורה extat in bibliotheca Parisiensi, nostro huic scriptori tribui debet, eundemque cum nostro hoc commentarium continet, non editas posterioris animadversiones, ut Wolfius conjicit. Illud monendum restat commentario praemitti carmen cujusdam R. Aaron fil. R. Meir, Wolfio ignotissimi.

COD. 143

1.° R. MOSIS MAIMONIDIS *Liber de tuenda valetudine* hebr. versus a R. Mose fil. Sam. ben Tibbòn.

2.° Ej. *Epistola meridionalis* hebr. versa a R. Nachum.

3.° Ej. *Epistola ad sapientes Marsiliae.*

4.° Ej. *Epistolae binae ad* R. *Samuel aben Tibbon.*

5.° Ej. *Quaesita et responsa.*

6.° ABU ACHMET ALGAZALI *Apalàd philosophim,* seu *Destructio philosophorum,* et AVERROIS *Apalàd apalàh, Destructio destructionis* heb. versa a R. Davide Kalonimo.

7.° Ej. ALGAZALI *Liber de opinionibus philosophorum,* hebr. versus a R. Jehuda Natàn et cum *Comm.* R. Mosis Narbonensis.

8.° R. ISAACI cujusdam *Observationes philosophicae,* membr. rab. 4.° min. an. 1464.

Praefatio I libri prodit eum esse Maimonidis tractatum הנהגת הבריאות *De tuenda valetudine,* et in gratiam regis Aegypti fuisse conscriptum. Nam omittitur in codice libri titulus. Silet etiam is, ut et alii plerique codices, a quo liber hic arabice primum exaratus hebraice translatus sit, quem tamen esse Mosem fil. Sam. ben Tibbon alterius nostri codicis epigraphe disertissime indicat. Latine pluries prodiit. Quae sequitur אגרת תימן *meridionalis Epistola* ab auctore missa ad R. Jacob ben Nathanael, arabice et ipsa conscripta, aperte sub initium interpretis Nachumi nomen brevioremque

praefat. exhibet, mirorque Wolfium qui sub Maimonide hujus Nachumi translationis meminerat T. I p. 861, nihil deinceps sub hoc nomine de eo ejusque versione tradidisse. Quaesita ac responsa n.° 5., sunt numero XXV, respondetque in iis Maimonides ad sapientum quaestiones ac difficultates super ejus libris variisque argumentis motas. De Algazalii libro הפלת הפילוסופים ejusque confutatione Averrois multa Wolfius T. I p. 21, et III p. 16. Prioris auctoris nomen in hoc codice effertur per אבו חמד Abu Chamed, quod idem esse cum Abu Achmet dubitare non poterat Wolfius, adeoque eradendus ex vol. III p. 5 novus numerus illi nomini assignatus. Quod docebant mss. Warneriana hebraicam interpretationem esse Kalonimi ben David ben Todros, idem diserte confirmat noster codex, in quo 12 versus in operis laudem subjiciuntur a scriba ipso elaborati. Alterius Algazalii operis כונות הפילוסופים *De opinionibus philosophor.* plura in publicis bibliothecis prostant exempla, nostraque haec quinque possidet. Ex eorum autem binis, 437, 515, patet a R. Jehuda fil. Sal. Nathàn ex arabico fuisse in hebr. translatum. Quod nunc primum ex nostris codicibus intelligimus, nam de hoc interprete altum est apud Wolfium silentium. Ego tamen non dubito, quin ille *ben Gudas Nadam*, ex cujus versione notat is T. IV p. 745 nostrum Algasalii librum ms. reperiri in bibliotheca Taurinensi sub n.° A. V. 34, ipsissimum esse Jehudam nostrum Nathan. Ex praef. videtur is natione gallus et XIV seculo floruisse. Produnt autem omnes codices eandem versionem. Praecedit praefatio Mosis fil. Josuae Narbonensis, cujus commentarius perpetuo auctoris textui subjicitur. Ex quo intelligitur Mosem Narbonensem a Wolfio relatum sub n.° 1616 p. 882 I vol. eundem esse cum eo, quem recenset sub n.° 1564 p. 825, maleque posteriori hoc loco statui eum ex arabico hunc librum hebraicum fecisse. Ac primum illud agnovit deinceps Wolfius ipse vol. III p. 802. Ad calcem libri haec leguntur: » Absolvi librum hunc hic in urbe ווידן Weiden feria III die XVI mensis chislev an. 224 min. supp., dicit librarius Biniamin filius Jeh. fel. mem. cognomine Wolfius ». Explicit cod. Observationibus philos. Isaaci רלבלג, diversa recentiorique manu excerptis. Beniamin ille, codicis scriba, idem videtur cum eo qui Mosis Kìmchii *Grammaticam* et Eliae levitae *Com-*

mentarium cum sua praef. ac suo nomine Pisauri edidit, de quo Wolfius T. I p. 247.

COD. 144

1.° R. ABR. ABULAPHIAE אור השכל *Or ascèchel, Lumen intellectus*.

2.° R. NECHONIAE fil. Kanà ס' בהיר *Liber Bahìr, Lucidus* vel *Illustris*, chart. rabb. fol. min. sec. XV.

Duo opera cabbalistica. Primum, quod ineditum est, vix ex Bartoloccio innuit Wolfius T. I p. 30, ut in Vaticana delitescens. In decem partes dividitur, quae subdividuntur in alias sectiones, nec de solo nomine tetragrammato, ut ait Wolfius, sed et de aliis nominibus ac rebus cabbalisticis agit. Auctor autem plenius in nostro codice dicitur *Abraham Hispanus filius Sam. Abulaaphia*, expresso patris nomine quod ignorabatur. De secundo opere magni inter cabbalistas nominis R. Nechoniae seu ei attributo, plura Wolfius T. I p. 905, et III p. 825, ac brevius nos ipsi in *Bibl. jud. scriptor.* T. II p. 77. Illud editum est sed non integrum, magnaque praeterea extat inter textum impressum ac ms. diversitas.

COD. 145

1.° R. SAM. ABEN TIBBON *Rùach chèn, Spiritus gratiae*.

2.° R. ABR. PERITZOL, vel FARISSOL, *Derascà* seu *Sermo de egressione israel*.

3.° Ej. *Comp. introductionis ad logicam* seu *Isagogis* Porphyrii, et *Categoriarum et de interpretat.* Aristotelis.

4.° ANON. *Opuscula logica*.

5.° R. JEHUDAE LEVITAE fil. Sabtaei מנחת יהודה *Minchad jehudà, Oblatio Judae*.

6.° *Excerpta* vel *Comp.* libri *Pidròn chalomòth*, seu *de Interpretatione somniorum* R. Hai agaòn.

7.° R. JEHUDAE AKKADOSC מעשה תורה *Mahassèh torà*.

8.° R. ABR. FARISSOL *Sermoni*, sive *Dissertatiunculae in varios S. Scripturae textus*.

9.° R. JEHUDAE, vulgo MESSER LEON, *Theses academicae*.

10.° FARISSOLII *Dissertatiunculae* al. *var. argumenti*.

11.° MAIMONIDIS *Epistola ad R. Sam. aben Tibbon*.

12.° MESSER LEON *Epistolae duae* an. 1474 ad judaeos Bononienses ac Florentinos.

13.° FARISSOLII *Epistolae* ad eundem Messer Leon et ad alios, chart. rabb. autographus 12. an. 1468 et 1474.

Celebris Peritzolii vel Farissolii autographum esse patet ex ipso codicis titulo et initio: » Mei est hic *Rùach chen*, minimi Abrami Farissol. Qui scribit, confortetur, et qui legit non afficiatur damno. Amen sela. Ego scriptor

hujus *Rùach chen,* minimus calcantium Abraham Mardochaeus Farissol, qui videat semen diesque producat, anno 228 sexti millenarii in urbe Avenionis in domo magistri Josephi Abrami Farissol, viri virtutis, cujus pedes, et pedes seminis ejus non dimoveantur ». Supra vero bis gallice legitur *le scrivant abram farissol,* quod nomen suum tertio nostris litteris expressit folio 7 in imo margine ejusdem libri a se descripti. Tandem ergo ex indubio et quidem auctoris ipsius monumento et testimonio constat vera cognominis פריצול pronunciatio ac lectio *Farissol,* quod minus accurate hucusque a plerisque bibliographis Peritzol, ab aliis Paresol efferebatur. Ac qui postrema lectione utitur Bartoloccius, quam rectiorem Wolfius arbitrabatur, male in ea designanda samech usurpat, quum auctor ipse tum in autographis omnibus, quae possidemus, sane non paucis, tum in editis libris, *Ighèred orcòth olàm,* et *Comm. in Jobum,* perpetuo nomen suum exprimat per tzade. Male etiam sive ipse Bartoloccius, sive Hydius, ab umbella solis ardorem amoliente italica voce nominis originem repetunt, quod vere Parasol auctor, nunquam Farissol expressisset. Nec italus porro is erat, nec Ferrariensis, ut perperam credidit Bartoloccius, sed gallus et Avenionensis, ut se ipsum semper nominat, quotiescumque nomini patriam subjicit. Qui ergo hucusque propius verae lectioni accesserat, is est Henricus Mauroy, qui in *Apologia pro judaeis* p. 213 eum *Phrysol* vocaverat. Jam haec scripseram quod prae manibus resumens R. Menassis ben Israel *Esperanca de Israel,* observo ab eo auctorem nostrum non semel sub nomine *Abrahami Frisol* proferri. Sic pag. 45, 46, 56 rarissimae quae apud me extat, editionis Smirnensis an. 5419, seu 1659. Titulus autem, quem supra produximus, aperte innuit eum primum librum descripsisse, quum adhuc Avenione et apud consanguineos moraretur, anno 1468, et quidem valde juvenis, quum multo post, anno videlicet 1525, Ferrariae celebrem suam Epistolam, seu Itinerarium aetate provecta composuerit, non typis ediderit, ut male ex titulo Venetae editionis perperam intellecto Sabtaeus aliique crediderunt. Porro omnia quae ibi continentur, Farissolii nostri opera non modo inedita sunt, sed et Wolfio ceterisque scriptoribus ignota. Ac sub initium quidem Sermonum, seu dissertatiuncu-

larum aperte ejus nomen non legitur, ut nec in exordio epistolarum, quas illi vindicamus. Apparent tamen utrobique vestigia deletorum verborum *Abrahami fil. Mardochaei Farissol*, subdens priori loco se eos describendos curasse opera unius ex suis discipulis, posteriori vero se eas epistolas anno 1474 Ferrariae dedisse, ubi et biennio ante videlicet a. 232, Chr. 1472, integrum opus *Arbàh turim* conscripsisse patet ex codice Taurinensi 52. Ea ergo aetate, patria deserta, Ferrariensis incola jam evaserat. Nihil etiam Wolfius habet de thesibus et epistolis Messer Leon hoc codice contentis. De R. Jeh. Levitae fil. Sabtaei *Minchàd jehudà* agit is T. I p. 439 et III p. 322, sed brevissime vixque ex Bartoloccio et Sabtaeo argumentum innuens inter se dissentientibus. Conferantur quae de eo dicemus ad cod. 473, qui integrum librum una cum 1049 continet; in nostro enim haud integrum doctus ille amanuensis descripsit.

Cod. 146

Averrois *Compendium libri* Aristotelis *Acroasis* vel *physicae auscultationis* ex hebr. versione R. Mosis Tibbonidis et cum inedito Comm. R. Levi Gersonidis, chart. rabb. in 4.° majori sub fin. sec. XV.

Praecedunt collectanea quaedam varii argumenti, quae priora quatuordecim folia occupant. Quae hic sistitur heb. versio libri Averrois, est R. Mosis Tibbonidis, ut patet ex epigr. ejusdem libri, quam exhibent cod. mei 171 et 208, cum quibus congruit. Ineditum hunc Gersonidis Comm. an. 1321, superstite adhuc auctore, conscriptum servari in Vaticana, notant Bartoloccius ac Wolfius T. I p. 729, non animadvertentes ea aera designari annum, quo ab auctore ipso exaratus primum est liber, qui proinde cecidit in an. mundi 5081, non eum, quo a librar. descriptus.

Cod. 147

1.° Anonymi ס' תדיר *Liber Tadìr* seu *Expositio variorum rituum et constitutionum*.

2.° *Judaicae confessionis exemplar rithmicum*.

3.° R. Biniamini Zeev *Constitutiones rituales*.

4.° R. Machir *Avkàd rochèl, Pulvis aromatarii*.

5.° *Collectanea* variorum opusculor., vel excerptorum.

6.° Variae *Tocachòth*, seu *Preces* sic dictae.

7.° R. Gerson *Constitutiones*.

8.° R. Salom. Jarchì לקוטי הפרדס *Likuté apardès, Collectanea libri de paradiso*, chart. rabb. in fol. sec. XVI.

Primi operis auctor in praef. rationem dat sic inscripti libri, » quia fundatus est super praeceptis perpetuis vel continuis, et quia jugiter praesto esse deberet in synagoga omnibus exquirentibus eum ». Judaica confessio litteris exarata est quadratis cum punctis. Zeevi constitutiones videntur desumptae ex ejus Quaesitis et responsis Venetiis editis. In Avkàd rochèl antichristiana loca deleta, et fere integra pars I primi libri abscissa. De opere ipso et auctore v. dicta ad cod. 119. Quae sequuntur Collectanea, continent Historiam R. Josuae fil. Levi, Expositionem nominum XVIII benedictionum, Mysterium circumcisionis, Imaginem vel figuram throni Salomonis, Constitutiones R. Gersom et R. Jacob, Praecepta R. Jehudae Chasid, et Confessionem diei expiationum. Likuté pardes depromta sunt, ut ad calcem notatur, ex editione Bombergiana.

Cod. 148

1.° Anonymi מנהגים *Minaghìm* seu *Liber rituum*.

2.° *Compendium libri vetiti et liciti*.

3.° R. Mosis fil. Josuae *Scholia* in eosdem libros.

4.° *Ordo sectionum legis, quae in diebus festis leguntur* memb. rabb. 4.° min. 1492.

Ritus illi dicuntur ad calcem scripti a Mose fil. Josuae in gratiam Menachem fil. R. Simson, et finiti anno m. s. 252. Quod sequitur comp. vetiti et liciti in X sectiones ac 42 paragraphos dividitur, diciturque in fine descriptum ad ejusdem Menachemi usum. Uterque liber habet scholia amanuensis et initialia sectionum verba rubro atramento distincta.

Cod. 149

1.° Anonymi *Comm. in octo Capita* Maimonidis.

2.° Ej. *Comm. Jotzeròth*, memb. rabb. 4.° min. a. 1487.

Ineditus et ignotus uterque commentarius, ab Aben Meir quodam, ut ad calc. legitur, descriptus mense IV an. רח"ם 248.

Cod. 150

1.° Hippocratis *Aphorismi* cum *Comm.* Maimonidis hebr. versi a R. Mose fil. Sam. Tibbonidis.

2.° R. Salom. fil. Josephi fil. Jobi *Tractatus de haemorrhoidibus*.

3.° R Mosis Maimonidis *Liber de cibo* vel *alimento*.

4.° Hippocratis *Liber de conceptu et utero*.

5.° Anonymi *Liber medicamentorum*.

6.° Avicennae *Excerptum ex Canone medicinae*, bomb. rabb. 4.° sec. XIV.

Primi operis titulus: » Pirkè, seu Capita, Aphorismi Hippocratis cum expositione R. Mosis ben Maimon fel. m. ex versione sapientis R. Mosis fil. R. Sam. fil. Jeh. ben Tibbòn hispani ». Ad calcem repetitur eos ex arabico vertisse Mosem Tibbonidem Granatensem, diciturque » ejus translatio absoluta die XXVI mensis tebeth an. 5028 mundi », Ch. 1268. Idem fere initium, quod ex Leidensi codice, olim Warneriano, profert Wolfius T. III p. 788, septemque tractatibus constat. Librum ipsum memorat Wolfius, sed heb. Tibbonidis versionem prorsus omittit, huncque Comm. confundit T. I p. 864 com Maimonidis Perachim seu aphorismis, qui sunt diversi. Contra distingui non debent ab his aphorismis ea *Pirkè moscè*, quae refert Wolfius sub n.° 25, ex Galeno excerpta; hoc enim titulo Maimonidis Aphorismos inscribi patet ex cod. nostro 354, qui eorum exhibet compendium. Notandum est autem sub hoc eodem titulo *Perachìm* vocari etiam octo capita Maimonidis commentario in Pirkè avòth praefationis vel introductionis loco praefixa, in quibus de anima ejusque facultatibus, et adfectionibus agitur, ac proinde verissimum esse quod sibi non verisimile sub eodem numero subdit Wolfius, Bartoloccii judicium, eadem esse cum ea praef. opinantis. Arabice extant Hippocratis Aphorismi in Bodlejana et Escurialensi. Quod vero spectat ad R. Sal. fil. Jobi, in auctorum ordine vix nudum ejus nomen innuit Wolfius T. III p. 1041 sibi notum ex epigr. cod. Jablonkii comm. Averrois de caelo et mundo ab eo allata p. 14, in qua testatur ille se ejus exemplar, vel versionem perfecisse anno ab O. C. 5019, Ch. 1259, in urbe Bedersensi. Addo vel versionem, quia השלמתי העתקת quod Wolfius non animadvertit, utrumque optime significat. Medicus hic tractatus de haemorrhoidibus, bibliographis omnibus ignotus, in septem sectiones et ipse dividitur, ad quarum calcem dicitur » absolutus mense jiar anno mundi 5025 (Ch. 1265) in urbe Bedersensi ». In poemate vero quod in ejus laudem subjicitur, dicitur auctor in Hispania natus, in urbe Granatae, ubi et majores sepulti sunt, sed Bedersensem urbem sibi deinceps inhabitandam delegisse, ubi eo anno librum composuit. Non minus ignotus qui sequitur, Maimonidis liber de cibo, qui cum dicatur sub initium in Aegyptii regis gratiam a Maimonide ipso concinnatus, idem esse nequit

cum primo Galeni libro de alimentis, a nostro arabice converso, qui, teste Wolfio T. III pag. 788, ms. extat in Escorialensi. In fine notatur heb. fuisse translatum a R. Zerachia fil. Isaaci fil. Saalthielis Barcinonensi. Sic iterum interpretor vocabulum העתקה, quod ibi legitur. Profundum aeque est apud Wolfium silentium libri Hippocratis de conceptu, qui incipit: *Dicit Hippocrates, quando concipit mulier,* et finit: *Perfectus est liber Hippocratis de conceptu et utero*. Post consuetas gratiarum actiones Deo tributas proprium nomen subjecit amanuensis, Pinchas filius Salom. Lunel.

COD. 151

R. JECHIEL ROPHÈ fil. Jekutiel ס' מעלות המדות *Liber mahaloth amidoth, de praestantiis virtutum,* membr. rabb in 4.° an. 1377.

Explicit codex nitidus et elegans fuso carmine, quo libri praecedentis veluti summa exhibetur, ac seq. epigraphe: » Ego Abr. fil. R. Isaaci fel. mem. scripsi has praestantias virtutum, exaravique illas in gratiam R. Jechielis Rophè, seu medici, amici mei, quem Deus tueatur, et absolvi hodie feria II die XXV ellul anno 137 min. supp. sexti millenarii ». Qua quidem certissima epigraphe nullum efficacius argumentum produci potest ad retundendum pudendum anachronismum, quem comittit Wolfius T. I p. 575, nostrum hunc auctorem confundens cum eo Jechiele, qui Pentateuchum breviori Comm. ex variis interpretibus collecto Venetiis edidit an. 1546. Illud autem magis mirandum est, quod eundem esse non dubitet contra Sabtaei fidem, qui utrumque diserte distinxerat, et T. III pag. 435 post allatum codicem Vratislaviensem bibliothecae Rhedigerianae anni 1471, subdat se nunc fere aliter sentire, quamvis temporis rationes conjecturam suam confirment. Si enim antiquior eo anno statuenda est libri compositio, et antiquiores ejus codices late jam disseminati, unde Rhedigerianus ille est descriptus, patiuntur ne temporis rationes, ut idem auctor medio saltem XV seculo opus hoc ediderit, Pentateuchum autem Venetiis medio XVI? At vero patet jam ex nostro hoc codice multo antiquiorem operis et auctoris aetatem esse determinandam. Quod et bini alii nostri codices evincunt, 807 et 918, qui circa idem tempus, seu finem XIV seculi videntur certissime exarati. Si vero, ut videtur, Jekuthiel ille filius Jechielis filius Jekutie-

lis Rophè qui codicem meum conscripsit 667, est auctoris nostri filius, multo vetustior ejus aetas erit figenda, ante annum videlicet 1280, quo codex ille est exaratus. In nostro hoc 151 praemittitur index XXIV mahaloth, seu praestantiarum, vel graduum in quos opus dividitur, et poema XVI versuum. Sequitur praefatio, in qua nomen suum, suumque institutum auctor explicat. In nonnullis locis verba quaedam deleta sunt, quae nos potissimum tangunt, in aliis quaedam vocabula ad marg. restituta vel emendata, quae evincunt codicem fuisse ad alia exemplaria collatum. Quod operi subjicitur fusum poema, eundem Jechielem habet auctorem huncque titulum: » Haec carmina composui et scripsi ad libri hujus complementum, quia iis comprehenduntur omnes praestantiae virtutum in eo descriptae, ut expeditiores essent in ore discipulorum ac juvenum qui librum legunt, vel in eo student ». Extat etiam hic liber in Bodlejano cod. 332, ut patet ex novo Uri *Catalogo* p. 60, qui singula capitum argumenta vel XXIV illas praestantias enumerat. Dubitat Wolfius T. I p. 265, an alter hujus tituli et argumenti liber, quem R. Betzalel Eliae tribuit Bartoloccius, et testatur in Vaticana servari, idem cum nostro sit, confuso vel male ab eo expresso auctore, eundemque esse valde verisimile est. Sane codex Oppenheimerianus, quem Wolfius ipse ad eum auctorem refert T. III p. 158, in ejus bibliothecae *Catalogo* a Seligmanno ejus possessore edito ut anonymus recensetur.

COD. 152

R. SAL. BEN ADÈRED *Toràd abàith, Lex domestica,* memb. hisp. 4.° min. sec. XIV.

Nitidus et elegans codex qui habet ad calcem quaedam ex libro *Eschol* decerpta.

COD. 153

R. SALOM. DEL VECCHIO *Compend. libri* מפעלות אלהים *Miphhalòth elohim*, seu *Opera Dei* R. Isaaci Abrabanelis, chart. rabb. autographus in 4.° sec. XVI.

Nec auctoris, nec libri ulla extant apud bibliographos vestigia. Auctor, certe italus, florebat sec. XVI, viderturque ejusdem cognationis ac familiae esse cum R. Mose Vecchio, cujus correctiones Alphesianas mss. memorat Wolfius T. I p. 819. In fronte codicis legitur statim post titulum antiqua manu: הכינם הר"ש ד"ל ויקיו וכתובים מכתב ידו. » Disposuit vel concinnavit has summas R. Sal. del Vec-

chio, scriptaeque sunt propria ipsius manu ». Est ergo ejus autographum.

Cod. 154

Achmet ben Abr. Opus medicum צדת דרכים *Tzedàd derachìm, Viaticum itinerum,* hebraice versum a R. Mose Tibbonide, chart. rabb. in fol. an. 1491.

Auctor ex fusa praefatione eruitur, ubi de singulis libri sectionibus disseritur. Ad calcem: » Absolutus est liber *Tzedàd aderachìm*, seu *Viatici itinerum*. Verti eum ego Moses fil. Sam. ben Tibbon fel. mem., Granatensis hispanus, ex arabico in hebraicum, complevique ejus versionem anno mundi 5019 die IV mensis sexti feria V... Ego Isaias fil. Ruben cognominatus Matzif Ravil descripsi librum hunc pro R. Jochanàn fil. R. Matathiae f. m., et finivi feria VI die XXIII mensis chislev anno 147 min. sup. VI millenarii ». Dein sub in. seq. paginae haec alia subjicitur nota: » Et ecce ego vermis et non homo... descripsi duplum libri hujus... et absolvi illud die VII tebeth an. 5252 a creatione juxta supputationem apud nos receptam hic in urbe Brixiae... Jacob filius Josephi fil. Avigador fil. Eliezeris f. m. dictus Jahnklin ». Extat etiam sub eodem titulo in Bodlejana in cod. 413 novi Uri *Catalogi*, item in Taurinensi in cod. 57, sed non memorato, si catalogo credimus, interprete, ex nostro jam codice ac Bodlejano supplendo. Subdit Pasinus sibi videri Bartoloccium ac Wolfium librum hunc ignorasse, qui reapse eum sub hoc titulo non afferunt. At vero verisimile valde est eum librum de medicina, quem uterque nostro auctori Abu Achmed ben Abraham tribuit, ut extantem in Vaticana, ipsissimum hoc esse Tzedàd aderachìm, non expresso, ut saepe fit, in Vatic. codice operis titulo.

Cod. 155

R. Meir fil. Simhon מלחמת מצוה *Milchèmed mitzvà*, seu *Bellum praecepti*, ineditum opus antichristianum, cum *Comm.*, bombic. rabb. in 4.° sec. XIII.

Vetustus codex, saepe a tineis corrosus, sub initium mutilus, sed rarissimus. Nullibi proditur auctor, sed in V partes easque fusissimas opus dispescitur, hacque una explicit nota: » Finitus est Comm. libri Milchèmed mitzvà. Laus Deo ». Quo titulo quum donetur antichristianum opus R. Josephi Kimchì, eidem tribuendum esse olim conjeceram. At ex partium divisione et mole patet congruere cum antichristiano al-

tero hujus tituli libro ms. R. Meir filii Simeonis, quem notat Wolfius T. III p. 679 Venetum rabbinum Aboabum ad Ungerum misisse. Nudum auctoris nomen ex Ungeri epistolis profert Wolfius. Sed nos addimus primo eum floruisse sec. XIII, quum folio 24 verso praeteriisse dicat a destructione templi usque hodie, seu usque ad an. 5005 annos 1177, a morte vero illius viri, seu Jesu, juxta aeram illorum, seu christianorum, annos 1245, deinde natione gallum fuisse, nam memorat decretum *domini nostri regis Galliarum* contra judaeos emissum et a se confutatum, tandem disputari ab eo in toto fere libro cum episcopo, quem ipse magnum appellat et Narbonensem, unde et Narbonensis auctor fuisse videtur. Citat Jarchium et Aben Ezram, et assumit in dialogo ut interlocutores, kadèsc et kadòsc, prophanum et sanctum, sub priori eo nomine christianum intelligens, sub posteriori judaeum. Conferantur quae de hoc auctore et opere diximus in *Bibl. jud. antichrist.* p. 64 et 65, et in *Bibl. jud. auctor.* vol. II p. 47.

Cod. 156

Agadoth, seu *Historiae talmudicae*, chart. rabbin. in fol. anni 1406.

Ut desumuntur hae Historiae ex Talmude, easdem puto cum Agadoth atalmud, quas memorat Wolfius T. II pag. 1288, ut CPoli editas an. 1511. *Seder adoroth* librum quod miror, prorsus omittit, nec, quod summam ejus raritatem ostendit, in instructissima comparet Oppenheimeri bibliotheca. Ad calc. » Absolutus liber *Agadoth* doctorum nostrorum fel. mem. per manum minimi Jehudae filii Chaviv in gratiam cl. R. Josephi de Castro filii excelsi don Jacobi de Castro . . . Finitus porro est באמפו״ feria II die XX mensis ellul anni 5166 a creatione ».

Cod. 157

R. Gersonidis *Comm. in Pentateuchum*, memb. ital. fol. exeuntis sec. XIV.

Perrarus ac pretiosus codex ob plures quas servat, ipsius auctoris epigraphes. Prima sectio Genesis hac explicit nota: » Fuit porro finis ejus sub finem mensis av an. 88 sexti mundi millenarii », Ch. 1328, integer Genesis liber hac alia: » Absoluta est autem hujus libri expositio die XVII mensis marchesvàn an. 90 sexti millenarii », Ch. 1330, Exodus: » Hicque finit expositio hujus libri, quae completa est initio ellul an. 90 sexti millenarii, Numeri: » Hic vero explicit comm.

in hunc librum, quem brevissimo tempore absolvimus et sine libris, ac propterea necesse est, ut iterum is expendatur. Cecidit autem finis ejus in diem xxiiI mensis tebeth an. 98 sexti ab O. C. millenarii », Ch. 1338. Denique ad calcem Deut. et cod. haec leguntur: » Hicque finis imponitur expositioni omnium verborum legis, et utilitatum, quae ex iis derivant. Sit Deo honos, qui misericordiis suis, et in multitudine benignitatum suarum nos adjuvit, et exaltetur supra benedictionem et laudem. Extitit autem finis ejus die xxiiI mensis scebat an. 98 min. supp. vI millenarii hic in urbe Ezov ». Quae epigraphae omnes leguntur etiam conceptis verbis in Conathi editione sine anno et loco omnium antiquissima, et in Veneta anni 1547, priores autem tres etiam in cod. 453. Wolfius omnes silentio praeterit, illud unum monens T. I p. 726 ex sola Ganzii auctoritate absolutum fuisse comm. in Pent. anno 5090, Ch. 1330, quod de nonnullis partibus, ut vidimus, verum est, de reliquis et de integro Pentateucho falsissimum. Lateri postremae epigraphis adhaeret haec posterioris manus nota: » Praeterea scripsit, necesse est ut studiose expendatur totus hic liber, quia composui ejus expositionem in urbe Avenionis nimis festinanter praeter libros institutionis et sacri textus ». Vel alludit haec nota ad ea, quae sub fin. Num. scripsit auctor, vel ex alia epigraphe petita est, quae haec addebat. Paullo infra correctoris, ut videtur, nomen legitur minimi Isaaci Coèn fil. Ascer de Mantua. In quibusdam sectionibus initialia verba rubro atramento expressa sunt, ad marg. non infrequentes extant notae varii generis, modo varias exemplarium lectiones sistentes, modo additamenta, emendationes et scholia, sub initium vero ac finem codicis aliae plures veterum possessorum, quarum antiquior est anni 173, Chr. 1413.

Cod. 158

R. Mosis Maimonidis, יד חזקה *Jad chazaka*, seu *Comp. talmudicum*, membr. rabb. in fol. maj. 2 col. sec. xiiI vel in. xiv.

Nonnisi dimidiam partem codex complectitur, a libro viiI *Avodà*, seu *de sacro ministerio*, ad xiv, seu postremum. De celeberrimo hoc opere, quod absolutissimum suppeditat atque aestimatissimum Talmudis seu talmudicarum constitutionum compendium hebraica et elegantissima quidem oratione

exaratum plura Wolfius sub Maimonide nosque ipsi ad cod. 626 et in *Bibliotheca jud. auctorum* T. II p. 25, ubi breviter quidem, sed accurate operis contenta, antiquiores ac praecipuas editiones, ac singulorum tractatuum versiones tetigimus.

Cod. 159

Machazor, seu *Breviarium precum* cum nonnullis *Psalmis* ac *Sectionibus* biblicis chaldaice, *Commentario* et *Constitutionibus* variis *ritualibus*. Accedunt R. Abr. fil. Isaaci, et R. Abr. ben David *Epistolae de tephilìn, Pirkè avoth*, talmudicus *Tractatus sopherìm*, seu *de scribis*, et R. Jacob *Tikkùn sopherìm*, memb. rabb. 4.° in. sec. XIII.

Rituales illae constitutiones praecipue ex Alphesio, Rascio, Hai Gaòn, Jehudà Gaòn, aliisque sunt depromptae, multaque alia in hoc codice continentur singularia minusque obvia. Singularissima autem potissimum, notatuque dignissima est nota, quae fol. 2 legitur de celebri bircàd aminìm, seu imprecatione haereticorum, quae incipit *Apostatis nulla sit spes cunctique haeretici momento pereant*, eam directe nos respicere ac pro christianis fuisse antiquitus constitutam, quod apologetici judaeorum scriptores, nostrorumque nonnulli, ut Reuchlinus, et Wagenseilius, inficiantur. *Benedictio haec non est ex numero XVIII benedictionum, quia Jafnae eam constituerunt super discipulis Jesu Nazareni*. Postrema haec verba, quae abrasa fuerant, iterum rescripta sunt. Concinunt haec cum iis quae habet Jarchius in cap. IV *Beracoth*. *In Jafna constituerunt illam*, vel composuerunt, *multo post tempore, propiori turbae* vel *discipulis Jesu Nazareni, qui docuerunt pervertere verba Dei vivi*. In primaria qua utor, editione Soncinensi talmudici hujus tractatus cum Rasciano Comm. nomen Jesu omittitur, relicto spatiolo subjectoque Nazareni vocabulo, quod illud subintelligit, in Sabionetensi vero a Wulfero allata in *Animadv.* ad *Theriacam judaicam* pag. 328 substitutum est של אותו האיש *illius viri*, quo saepe judaici scriptores et editores Jesum nostrum, suppresso ejus nomine, intellexerunt. Atque haec de nota. Oratio autem ipsa, seu imprecatio integra in hoc nostro codice legitur, et quidem cum primigenio vocabulo למשומדים *Apostatis*, cui in recentioribus codicibus hodiernisque editionibus substitutum esse aliud ולמלשינים *et dectractoribus* supra monuimus.

Ex folio 36 eruitur scribam fuisse Isaacum quemdam filium Nathanaelis. Folio 40 occurrit R. Abr. ben Isaaci epistola de tephilìn ad R. Nathan de urbe Lunel fil. Mardochaei. Qui auctor idem est cum Abr. fil. Isaaci Montis pessulani, de quo Wolfius T. I num. 93. Pag. versa extat epistola R. Abr. ben David ad R. Sam. Coèn de eodem argumento. Folio 42 dantur excerpta constitutionum tephilìn ex libro אשכול ejusdem Abr. fil. Isaaci, quem vix ex Sabtaeo Wolfius memorat. Sequuntur constitutiones R. Alphes de tephilìn, R. Hai Gaòn ordo tephirà, seu eorumdem suturae, de eisdem epistola R. Mescullam ben Jacob et constitutiones R. Jeh. Gaòn, tandem Alphesii constitutiones Mezuzòth, Tzitzith, Chanuca, Meghillà, Pèsach, item constitutiones Evel, Rosc ascanà, Jom chippurìm, Succà, plerumque decerptae ex Alacòth ghedolòth, et Jarchii de iis collectanea, nec non R. Isaaci fil. Jehudae quae clauduntur talmudicis tract. Pirkè avòth et Sopherìm, et R. Jacobi Tikkùn sopherìm, seu Typo scribarum, inedito et ignoto.

Cod. 160

Compendium Machazòr membr. rabbin. 4.° sec. XIV.

Saepe librarius rubro utitur atramento.

Cod. 161

Machazòr seu *precum Breviar.* abbreviatum cum nonnullis *Psalmis*, *Cantico Mosis*, *Pirkè avòth* et variis *Constitutionibus*, membran. rabb. 4.° an. 1428.

Ad calcem: » Ego Elias fil. R. Jacobi fel. mem. dictus Karutzulo scripsi hoc Machazòr, absolvique illud anno 188 ». Habet etiam Targum Aphtaròth festorum, R. Jeh. Levitae carmen Mì camòcha, Azaròth R. Eliae et R. Salomonis Gaviròl.

Cod. 162

Compendium Machazòr, seu *Breviarii precum* cum *Cant. Exodi*, *Psal.* occ. et *Pirkè avòth*, membr. germ. 4.° sec. XV.

Elegans codex in quo litterae et verba initialia rubro saepe colore exarata.

Cod. 163

Machazòr, seu *Preces novi anni* et *diei expiationis* cum *Sectionibus Pentat.* ac *Prophet.* membran. rabb. 4.° min. sec. XIV.

Primo folio habetur nota, qua R. Ezechias fil. Jacobi Barcinonensis testatur se librum vendidisse R. Jechieli fil. Mardochaei die XIX mensis tisrì an. 165 min. supp., Ch.

1405., Patavii. Inter preces habet locum carmen R. Biniamini, aliudque super lectione Meghillà seu vol. Esther, anonymum, quod cod. 1117 in titulo docet esse Aben Ezrae.

COD. 164

R. SAMUEL ABEN TIBBÒN fil. Jehudae דעות פלוסופים *Dehòth filosofìm, Sententiae philosophorum,* membr. et chart. rabb. fol. an. 1416.

Ineditum opus quod ex Sabtaeo ac bibliotheca Oppenheimeri vix memorat Wolfius T. I p. 1098, et III 1099. Praecedit fusum carmen morale, finitque brevi hac epigraphe: » Absolvi illud mense adar secundi an. et vivemus coram eo לפ״ני, videlicet 176 min. supp. ».

COD. 165

1.° PETRI III regis Aragoniae *Praefatio* in *Tabulas astronomicas*.

2.° ANONYMI *Expositio Tabularum earumdem*.

3.° Ej. PETRI III *Tabulae astronomicae,* membr. rabb. fol. vel 4.° maj. sec. XIII.

Altum de hisce Tabulis apud Wolfium silentium. In praef. rex impensa in iis studia et curas enarrat, designatque personas in astronomia ea aetate celeberrimas, quibus est usus, videlicet magistrum פירא Pera, vel Pyra, magistrum דלמיו Dalmio ejus discipulum, ac magistrum Jacobum, cujus cognomen non sat secure ob detritum characterem erui potest, sed certe judaeum. Hujus Jacobi esse videtur quae sequitur, Tabularum expositio in XIII sectiones divisa. Etenim tum ex contextu, in quo rex Petrus, vel don Pedro, ejusque Tabulae, ut tertiae personae, nominantur, tum ex epigraphe: *Dicit auctor, hicque explicit expositio Tabularum, Deo soli sit gloria et laus, qui adjuvit nos misericordiis suis,* patet regis non esse.

COD. 166

1.° R. JEHUDAE CHASID שיר הייחוד *Scir ajichùd, Canticum unitatis*.

2.° Ej. seu potius R. Jonae Toletani חיי עולם *Chajè olàm,* seu *Vita aeterna*.

3.° Ej. סוד התשובה *Sòd athescuvà,* seu *Mysterium poenitentiae*.

4.° PRETEGIANNI *Epistola ad Fredericum* cesarem Rom.

5.° ANON. *Oratio ad Deum.*

6.° R. DAVID NASSÌ *Approbatio libri Morè nevochìm* contra R. Salom. fil. Samuelis de urbe Aco.

7.° R. SAMUEL COEN fil. Dan. *Epistolae ad R. David fil. Abrahami et sapientes Aco de Morè nevochìm, ejusque laudibus*.

8.° R. JOSEPHI FIL. TODROS Levitae *Dissertatio epistolaris* ad rabbinos Provinciales de libro *Morè nevochim*.

9.° R. MEIR FIL. ISAIAE *Solutio quaesiti*.

10.° *Excerpta Comm.* R. Joseph Kimchì *in Pentateuchum* dicti *Sèfer torà*.

11.° *Excerpta* ex *Quaesitis* ac *respons.* R. Eliezer de Tarascone et R. Sam. Maghedi.

12.° R. RUBEN FIL. ISAACI *Quaesitum* ad R. Biniaminum, et hujus *Responsum* cum *Quaesitis* ac *resp.* alior.

13.° *Excerpta* ex *Berescith rabbà*.

14.° *Excerpta* ex *Chiduscìn*, vel nov. *Observationibus* R. Jehudae fil. R. Tobiae de Arledi, vel Araldi in tract. *Kidduscìn*.

15.° *Excerpta* ex R. Simsonis *Comm. misnico*, aliisque rabbinorum scriptis.

16.° R. JECHIEL CHASID de Parisiis *Demonstrationes*.

17.° *Demonstrationes* rabbinorum gallorum.

18.° ANON. *Expositio suffitus mutila*, partim memb., partim chart. rabb. in fol., vel 4.° maj. sec. XIV.

Sub init. ignoti libri fragmentum occurrit, in quo testimonia producuntur Agadàe R. Matzliach fil. Eliae, cujus libri et auctoris nulla vestigia. Pag. seq. occurrunt tituli priorum trium librorum, ac singulare est quod de iis subditur: *Composuit illos sapiens* R. *Isaac Chasid, cujus requies sit in paradiso*. Bibliographi namque omnes primi libri, seu Cantici de unitate, auctorem statuunt R. Jehudam Chasid, non Isaacum, binos vero posteriores qui memorant, eos ut anonymos recensent. Sed secundi quidem, seu Chajè olàm, auctorem verum esse R. Jonam Toletanum nos docet luculentior codicis alterius nostri 1233 epigraphe, cui profecto magis credendum esse opinamur, quam incerto et mendoso hujus nostri titulo. Quamobrem reliqua istius libri exemplaria mss., etsi anonyma, 189, 392, 403, 473, 1233, secure posteriori auctori tribuimus.

Ad marg. primi opusculi extat illa Pretegianni epistola, sat fusa, sed in superiori parte mutila, ad cujus calcem legitur: *Explicit liber, vel epistola Pretagian quam misit ad Fredericum Romanum imperatorem*. Ita interpretor corruptum Ferzelikii nomen.

Quemdam David Nassi vix ex Barriosio innuit Wolfius, poetam et ab hoc nostro, cujus extat הסכמה seu *Approbatio* Morè nevochìm, diversissimum. Eum tamen celeberrimum sua aetate fuisse et insignis dignitas ראש גלות כל ישראל *principis captivita-*

tis totius israel, et amplissimi tituli honoris, qui plures lineas ac totam fere praefationem occupant, luculenter demonstrant, inter quos et ille occurrit מלכנו *regis nostri*. Erat is in urbe Atur, fil. Danielis, fil. Davidis, fil. Zaccai, fil. Josephi ec., omnium principum captivitatis, dataeque sunt litterae approbationis an. 5099, Ch. 1339.

Ac silentium quod de hoc rabbino servat Wolfius, servat et de reliquis plerisque qui sequuntur. Nihil de R. Samuele fil. Dan. Coèn, de R. Josepho bar Todros Levita, de R. Meir fil. Isaiae, de R. Eliezer Tarraconensi, de R. Samuele Maghedi, de R. Ruben fil. Isaaci, de R. Jeh. fil. Tobiae de Arledi, eorumque scriptis. Producit celeb. Josephum Kimchium ejusque opera, quae studiosius conferri ac describi Michaelis, Brunsius, anonymus auctor in *Ephemeridibus Gothanis*, aliique eruditi viri nuper optarunt, sed nihil de ejus Comm. in Pentateuchum. Quod valde mirandum, nam Bartoloccius, quem Wolfius perpetuo exscribit, aperte testatur T. III p. 827 hunc commentarium eum scripsisse una cum alio in Prophetas, et in Psalmos et Prov. usque ad XXI 14, de quibus etiam silet. Bartoloccii notam repetit le Longius, additque uterque, quod ad Psalmos et Proverbia attinet, ms. servari in cod. Vat. 89. Quod de Proverbiis verissimum, de Psalmis falsum est. V. Assemani *Catal.* ad eum cod. T. I p. 63 Innuit tandem Wolfius Jechielem Parisiensem, sed nulla facta ejus operum mentione. Multa ergo sunt, eaque egregia supplementa, quae ad Wolfianam *Bibliothecam* noster hic codex suppeditat.

Cod. 167

1.° Costae fil. Lucae *Liber practicus de sphaera*, a R. Jacobo fil. Machir ben Tibbon hebr. versus.

2.° Massalae *Liber de eclipsibus lunae et solis, et de conjunctione planetarum et revolutione annorum*.

3.° Anon. *Ordo arcani intercalationis* vel *calendarii*, chart. rabb. 4.° min. sec. XV.

Hebr. titulus prioris libri est ספר המעשה בכדור הגלגל, secundi ס' למשאלה בקדרות הלבנה והשמש וחבור הכוכבים ותקופת השנים, postremi סדר סוד העיבור, omnesque inediti. Primus constat sectionibus LXV, idemque videtur cum eo quem ex ms. *Catalogo* Gagnerii profert Wolfius T. III p. 964, ut in Bodlejana superstitem, ex graeco Theodosii in arabicum ex mandato ismaelitici principis a Costa translatum. Sed T. IV p. 962 emendans is quae

ex edito *Catal.* illius bibliothecae de ipsius Costae Arithmetica hebraica I vol. tradiderat, scribit eum librum de globo seu de sphaera esse quidem ex auctoris nostri versione, sed Archimedis, non Theodosii, ut ejus initium ac finis demonstrant, hocque idem confirmat novus Uri *Catalogus* p. 86 ad cod. 440 qui illum complectitur, addens hebraice a R. Calonymo fil. Calonymi fuisse conversum. Atque arabice reapse occurrit hic liber in eadem bibliotheca et Catalogo in cod. 879 inter arabicos p. 190, ubi tamen Costae nostro ut auctori tribuitur, non ut interpreti. Noster codex aperte testatur sub initium Costam eum composuisse: *Composuit eum Costa ben Luca in gratiam aben Chassan Abdallae ben Jachii,* qui est ismaeliticus ille princeps, ex cujus mandato dicebatur translatus. Et ad calcem: » Explicit liber practicus de sphaera Costae ben Lucae, quem vertit dominus meus avus meus sapiens R. Jacob fil. R. Machir ben Tibbòn. Absoluta autem est versio anno XVI sexti millenarii », videlicet anno Chr. 1256. Ex qua epigr. corrigenda sunt obiter, quae de hujus interpretis aetate tradit Wolfius T. I p. 666, eum floruisse ineunte XIV seculo, nam ex nostro codice florebat jam medio sec. XIII. Sic et aetas descripti Bodlejani exemplaris, quam ipse ex Gagnerii fide statuit in postremo eo vol. p. 963, ex Urii descriptione in 212 seu 1452 est emendanda. Qui sequitur Massalae arabis judaei liber, constat is quidem XII sectionibus, sed adeo brevibus, ut vix paucis lineis quatuor folia praetergrediatur. Eum nonnisi ex Salmasio, qui ejus mentionem fecerat *De annis climactericis* p. 309, innuit Wolfius T. III p. 821, ubi praeclara de hujus doctoris doctrina ac celebritate ejusdem Salmasii et Abulfaragii testimonia producuntur. At vero Sod hibbùr qui binis reliquis est copiosior et 29 folia occupat, omnino reticet, quum diversus prorsus is sit a libro intercalationis R. Isaaci fil. Aaronis, quem ex R. Azaria de Rubeis commemorat T. I p. 645, ut infra animadvertimus ad cod. 1191, qui alterum nostri hujus operis suppeditat exemplar. Vix autem dubitandum, quin cum postremo hoc congruat anonymus ejusdem tituli liber, quem ex *Catal. bibliothecae Uffenbachianae* recenset T. II p. 1390. Noster hic incipit: אמר רבן גמל׳ כך מקובל אני מבית אבי אבא *Dicit rabbàn Gamaliel, sic traditione accepi ego a domo* vel *familia patris mei*

Abbà, idemque videtur cum eo quem R. Saadiae, nescio quo argumento, tribuit Azulai in *Vàhad lachachamìm*.

Cod. 168

R. Chaiim Israel *Tractatus de* גן עדן *gan èden*, seu *horto voluptatis*, memb. chart. rabb. in 4.° min. sec XV.

Nullum nec auctoris, nec operis vestigium apud Wolfium. In undecim capita liber dividitur, in quibus non modo de mysterio horti voluptatis agit auctor, sed et de mysterio Cantici canticorum aliisque argumentis, testans in praefatione se in omnibus inniti sententiae R. Aben Ezrae. In V capite disputat contra Averroem, saepeque profert Aristotelem aliosque philosophos.

Cod. 169

R. Samuelis aben Tibbòn fil. Jehudae *Tractatus philosophicus de congregatione aquarum*, bomb. rabb. in 4.° min. sec. XV.

Hebraicus titulus ex Gen. I יקוו המים *Ikkavù amàim*, seu *Congregentur aquae*. Quod in novo Uri *Catal.* Bodlej. legitur ben Azaria nomen p. 21 ad cod. 114, qui hoc idem opus complectitur, non dubito quin ex errore profluxerit pravaque lectione ejus qui epigraphem descripsit vel legit, ut non dubito, quin ex mera sive auctoris sive descriptoris oscitantia factum sit, quod Jachias in *Scalcèled* illud tribuat R. Salomoni fil. Jehudae aben Tibbòn, confuso Samuelis nomine cum altero Salomonis. Constat XXII capitibus, et ineditus est, quod et R. Jechiel in *Sèder adoròth* confirmat, ac perperam proinde in *Catal.* Oppenheimeri notabatur illum pluries prodiisse. Eundem librum vide infra in cod. 207, et 770 in quibus et Samueli nostro tribuitur, qui varia alia opera, pluresque translationes edidit. V. *Bibliothecam* nostram *jud. auctorum* T. II p. 149.

Cod. 170

R. Abr. fil. R. Chaja vel Chija hispani ס' צורת הארץ *Liber Tzuràd aàretz*, seu *De forma terrae*. Accedit anon. *Fragmentum operis antichristiani*, membr., et chart. rabb. in 4.° min. sec. XIV.

Integer libri titulus est ס' צורת הארץ ותבנית כדורי הרקיע וסדר מהלך כוכביהם *Liber de forma terrae, et de structura sphaerarum firmamenti, et ordo processus syderum illarum*. Editus est Basileae, sed ex mutilo et imperfecto exemplari. Cl. Rodriguez de Castro, qui in *Bibliot. hisp.* T. I p. 14 Buxtorfium, Huetium, ac Wolfium redarguit, quod latinam Oswaldi

Schreckenfuchsii versionem Basileensi editioni additam fuisse adfirment, non animadvertit quod idem Wolfius notat T. III p. 32, versionem illam post contextum hebraeum seorsim fuisse excusam. Perperam ergo ex exemplari quo utebatur, solum textum sistente, latinam versionem abesse judicavit. Desunt ad calcem nonnulla, clauditque codicem Fragmentum anonymi auctoris et operis tribus foliis constans, et ejusdem characteris ac scribae, in quo contra trinitatem ac Jesu divinitatem disputatur. De priori illo libro auctorisque aetate conferantur quae infra dicimus ad cod. 1165, ubi gravissimus Jachiae ac Wolfii anachronismus detegitur, ac *Bibliotheca* nostra nuperrima *jud. auctorum* T. I p. 30.

Cod. 171

1.° Averrois *Compendium libri acroasis* seu *physicae auscultationis* Aristotelis hebr. versum a R. Mose Tibbonide.

2.° Ej. *Comp. libri Aristotelis de caelo et mundo*, a R. Sal. aben Job hebr. translatum.

3.° Ej. *Comp. libri* Aristotelis *de sensu et sensibili* ex hebr. vers. Mosis Tibbonidis.

4.° Aristotelis *Liber de signis caeli*, vel *meteoris*, in comp. redactus et versus a R. Sam. aben Tibbon, et cum ejus Comm., chart. in 4.° maj. sec. XV.

Legitur ad calcem I libri: » Absolutum est Compendium verborum Aristotelis super auscultatione physica, quod excipiet Comp. libri de caelo et mundo. Illud porro vertit ex arabico in linguam heb. doctor magnus R. Moses fil. R. Sam. fil. Jeh. aben Tibbon Granatensis hispanus ». Quae epigraphe plane congruit cum alia codicis 208. Corrigendus ergo Bartoloccius ac Wolfius T. I p. 19, qui scribunt libros hos a R. Samuele aben Tibbon, Mosis nostri patre, hebraice fuisse translatos. Textus utriusque codicis cum Ripae Tridentina editione conspirat. Versionem III libri esse ejusdem Mosis Tibbonidis evincunt codices 208, 423, et 776, in quibus diserte id legitur, sed versio II, videlicet *De caelo et mundo*, videtur tribuenda R. Sal. aben Job hispano, ex cujus interpretatione occurrit hic liber in cod. Taurinensi 69. Valde huic nostro loco opportuna est Taurinensis codicis epigraphe, tum ob auctorem et annum, quem detegit, translationis, hucusque ignotum, tum ob aeram absoluti ab Averroe operis, dignaque idcirco, quae integra exscribatur: » Et ecce complevi opus comm. hujus die 2 mensis ra-

ghev an. 566 secundum computationem ismaelitarum, idest aerae vulg. 1188, quo tempore Hispali commorabar. Ego Salomon fil. Jobi hispan. absolvi translationem hujus libri de caelo et mundo Aristotelis cum Comm. ben Rasciad an. creat. 519, idest aerae vulg. 1219 in prov. Badras ». Corrige anno creat. 5019, sic enim habet textus, et verte in civit. Badras. Nec annus hegirae 566 an. vulgari 1188, sed 1170 respondet, nec legendum cum Comm., sed ex expositione aben Rascad, sive Averrois, ut patet ex codice Jablonskiano. Extabat enim hic liber ex eadem interpretatione etiam in bibliotheca Ernesti Jablonskii, cum eadem epigraphe quoad interpretem et annum, a Wolfio allata T. III p. 14, qui in latina versione vocabuli ביאור idem peccat, ac gravius adhuc in versione praecedentis verbi העתקה, transferens *perfeci exemplar*, ac purum faciens codicis amanuensem ac librarium, qui erat doctus libri interpres. Hunc Wolfii locum profecto non animadvertit Pasinus, qui Taurinensem codicem illustrans, subdit eam interpretationem Buxtorfii, Bartoloccii, Hottingeri, Wolfii *Bibliothecis* esse addendam. Quamquam, quod Pasino errandi caussam videtur dedisse meritoque est in Wolfio reprehendendum, vix is hunc interpretem proprio loco, seu sub n.° 1986 b III vol. nomine innuit, nullis ejus scriptis indigitatis, lectoremque amandare contentus ad ea quae scripserat sub Averroe. Haec interpretatio occurrit iterum in 208, ac praeter eam, nonnulla alia nos hujus interpretis opera possidemus, Wolfio ignotissima. De postremo scripto Bartoloccius qui illud possidebat, et Wolfius T. I p. 1098, in eo tamen iterum corrigendi quod Tibbonidi ut auctori absolute tribuant, qui accuratius dicendus est ejus interpres et abbreviator. Vide pleniorem libri titulum in cod. 207 et 771.

Cod. 172

R. Isaaci Corbelensis *Amudè golà*, seu *Liber parvus praeceptorum cum additamentis* ac *scholiis* perpetuis, memb. rabb. in f. 1381.

Praeter correctiones textuales R. Meir Rothenburgensis ac R. Peretz, insignia ac perpetua ad marg. scholia extant, quae vel novas exhibent emendationes, vel aliorum codicum lectiones, vel aliorum auctorum supplementa. Penultimo folio dicitur » absolutum opus feria I die XXV tebet a. 5141 ab O. C. Menachem fil. Jac. Scalino ».

Cod. 173

R. Aaron fil. Eliae Nicomediensis karaei ס' מצוות *Liber mitzwoth*, seu *praeceptorum*, bombicinus charactere rabbinico in fol. anni 1407.

Ineditum et insignissimum opus, de quo agunt Mardochaeus in *Dod mordachai* p. 145, Schupartus *De secta karaeorum* p. 63, Wolfius in notis ad *Notitiam karaeorum*, et *Biblioth. heb.* T. I p. 115. Illud vocatur etiam גן עדן *Hortus eden*, auctor vero Aaron posterior, tantaeque est apud karaeos liber auctoritatis, ut, Mardochaeo ipso teste hujus sectae scriptore, omnes communi consensu eum sequantur. Summa est karaiticorum librorum raritas, bibliographorum omnium testimonio, potissimum vero Buxtorfii, Morini, Hottingeri, Simonii, Carpzovii, Triglandii, Schuparti, ac Wolfii, confirmata, ac quidem talis ac tanta, ut viri ipsi harum rerum peritissimi ac doctissimi vel nullum, vel unum et alterum viderint, nullumque, vel paucissimos ditiores ipsae principum bibliothecae possideant. Hinc nostrum hunc codicem inter praecipua numeramus exiguae nostrae hujus supellectilis cimelia. Notat Mardochaeus p. 144 tempus, quo unus ex auctoris nostri libris exaratus est, incidisse in an. 106 millenarii VI, Christi 1346, unde eum hoc anno floruisse scribit Wolfius. Sed nemo annum designat, quo celebre hoc opus suum composuerit, etsi diserte eum memoret auctor in *Constitutionibus de anno sabbatico ac jubilaeo*, testans se illud concinasse anno conditi orbis 5114, Ch. 1354. Quod et recentior karaeus codicis nostri possessor in ejus titulo adnotat, falso tamen praemittens hunc praeceptorum librum appellari etiam צפנת פענח *Tzafnàd paanèach*, seu *Revelator arcanorum*. Hoc enim titulo ab auctore ea tantum pars appellata est, quae agit de אסורי העריות *gradibus prohibitis*, forte primum ab eo seorsim edita, ut constat ex peculiari epigraphe quae ad ejus calcem conspicitur: » Absolutus est (liber) et obsignatus per manus Aaronis. Librum hunc scripsi, ut esset clavis omnium fundamentorum graduum prohibitionis . . . Explicit trutina quam composuit sapiens probatissimus R. Aaron fil. Eliae fel. mem. ». Ad latus autem interius haec librarius addidit: » Elias filius R. Aaronis scriba cum justis numeretur, parcatque Deus iniquitatibus ejus, et adjuvet illum auxilio suo magno, et dominetur

omnibus insurgentibus contra ipsum cito. Amen ». Sane ejus libri seorsim editi et tituli nulla apud bibliographos, nec apud Mardochaeum ipsum, habentur indicia. Sub finem nonnulla adduntur capita vel jura, quae in enumeratione vel serie tractatuum Schupartus omittit, desinens ad jus defraudationis, hacque luculenta expliciunt nota calligraphi: » Finitus est hic liber praeceptorum, quem composuit sapiens magnus ac cl. doctor noster et rabbinus noster Aaron fil. sapientis R. Eliae Nicomediensis (sit anima ejus colligata in fasciculo viventium), per manus Eliae filii R. Aaron, auctoris hujus discipuli, qui erant filii duorum fratrum fel. mem. et ambo vocati sunt nomine majoris vel avi eorum, patris patris eorum, R. Aaron senioris. Scripsi autem ego librum istum in gratiam Sabtaei bachur, seu junioris filii R. Michaelis, obtestans unumquemque qui in eo legerit, si errores repererit, ne me in malam partem judicet . . . Absolutus porro est feria III hebd. die XV scebat anni 5167 a creatione ». Conferantur quae de auctore et opere diximus nuper in *Dictionario historico judaicorum auctorum eorumque operum* vol. I p. 3.

Cod. 174

Biblia, seu *Pent.* ac *Prophetae omnes priores* ac *posteriores*, memb. ital. in fol. 2 col. in. sec. XIII.

Quaedam folia sub init. ac finem codicis posteriore manu sec. XIV suppleta sunt. Ex vestigiis quae supersunt, abrasarum litterarum membranis usus est amanuensis, quae pertinebant ad libros chorales, initiales quidem is adhibet litteras majores, sed masoram nullam, nec finalem ipsam. Saepe is verba omisit, ab eo qui puncta adjecit, restituta, sed textus ab eo descriptus plures et insignes suppeditat discrepantias. Unicus est Deut. XXX 10, Jud. VI 26, Amos IV 5, V 11, Zach. IX 1, XI 8, fere unicus Gen. XXVI 33, II Sam. XIII 20, I Reg. XX 3, 5, XX 26, Jerem. XX 12, L 38, Mich. V 3, atque ut in priori illo loco consentientia habet Biblia Munsteri, sic in postremo, quod mireris, tres Pisaurenses editiones ex hisp. procul dubio codicibus haustas. Raras alias lectiones exhibet Jud. IX 41, Jer. XLIX 5, Ezech. XX 36, XLIII 3, XLVIII 29.

Cod. 175

R. Sal. Jarchì *Comment. in Pentateuchum*, membr. rabb. in fol. an. 1305.

Crebra ad marg. extant scholia, variationes, emendationes, quarum usus maximus esse potest in figenda vera Jarchii lectione. In fine: » Perfectus et absolutus est, laus Deo seculi, mense marchesvàn anno 66 orbis conditi ». Pag. versa haec eadem antiqua amanuensis manu de emortuali auctoris anno annotantur. » Sublata est arca Dei, sanctum sanctorum, doctor magnus, rabbènu Salomon, memoria justi sit in benedictione, filius sancti R. Isaaci galli fel. m., anno 865 die XXIX mensis tamuz, feria V. Filius autem erat annorum 65, cum ad supernam sedem est avocatus ». Ex hac ergo nota indubiae antiquitatis congruit quidem annus emortualis, quem statuunt auctores *Jesod olàm*, *Juchasin*, *Korè adoroth*, aliique, sed annus aetatis dissentit. Scribunt namque mortuum anno aetatis 75, et natum an. 4790, Chr. 1030, noster vero codex mortuum anno 65, et natum an. 4800, Chr. 1040. Conf. quae fuse de hac re annotavimus *in Diction. hist. jud. scriptorum* T. I p. 161.

Cod. 176

R. Mashòd Saghì naor *Deruscim*, seu *mysticae* et *cabbalisticae Expositiones*, chart. rabb. in 4.° sec. XVI.

Vestigia nulla auctoris hujus ac libri in Wolfio aliisque bibliographis.

Cod. 177

1.° R. Levi Gersonidis *Commentarius in Esther*.

2.° R. Abr. Chadida *Commentarius in Ecclesiastem*.

3.° Ej. *Comm. in Esther*.

4.° R. Joseph ben Scem Tov *Comm. in Threnos*.

5.° R. Levi Gersonidis *Commentarius in Ruth*, vel ejusdem *Excerpta*.

6.° R. Abr. Chadida *Commentarius in Agadà*.

7.° R. David Avudraam *Commentarius Agadà*.

8.° Anonymi *Commentarius* alter *Agadae*.

9.° R. Mosis Maimonidis *Liber de vocabulis logicis*, seu *logicae Comp.*, ex heb. versione R. Mosis Tibbonidis.

10.° Anonymi *Comm. in Pentateuchum*, chart. rabb. in 4.° sec. XV.

Quae hic delitescunt Chadidae opera, ea non modo inedita sunt, sed et ignota. Auctor ipse ignotissimus, qui sub initium Comm. in Ecclesiastem paullo plenius nomen suum exprimit *Ego minimus Abraham fil. R. Jehudae cognominatus* חדידה *Chadida*. Floruisse eum ea ipsa aetate, qua descriptus est codex, seu XV seculo, patet ex sigla יצ"ו *custodiat eum rupes ejus et redemptor ejus*,

quae ejus adhuc viventis nomini subjicitur in titulo utriusque Comment., in Ecclesiastem et Esther. Altum etiam silentium est apud omnes bibliographos, hebraeos et christianos, Commentarii R. Josephi ben Scem Tov in Threnos, quamquam auctor ipse notissimus sit, et de ejus operibus agant disertissime. Sub finem hujus Comm. haec leguntur: » Ibique absolvitur haec expositio. Fuit autem ejus finis anno 201 min. supp. VI millenarii hic in urbe Methymnae campestris (Medina del campo in regno Hisp. Legionensi), in qua multae nobis afflictiones contigerunt, sed laus sit Deo qui adjuvit nos, super omnem benedictionem, et gloria ei qui festinat salvare populum suum israel ». Quae si de operis, ut videtur, compositione sunt intelligenda, paullo serius constituenda est auctoris aetas, quam a Wolfio fiat, qui eum floruisse scribit anno 5180, Chr. 1420. Annus enim ille incidit in annum nostrum 1441. Et si is quidem in patria, ut verisimile est, scripsit, constat jam eum ex ea urbe regni legionensis fuisse oriundum, quod hucusque ignorabamus. Qui num. 7 subjicitur Avudrahàmi Commentarius in Agadam, is desumptus est ex libro precum ejus auctoris celeberrimo ipsiusque auctoris nomine Avudrahàm comuniter dicto. Sed alter qui sequitur, videtur ineditus, ut et Commentarius ille incerti auctoris sub finem mutilus, quo codex clauditur. Maimonidis liber מלות הגיון de vocabulis logicae, in XIV sectiones vel capita dividitur, atque hinc logicam nostri auctoris ejusque compendium, de quo Wolfius T. I pag. 862, et III p. 786, unum idemque esse opus pro certo tenendum est, a Bartoloccio male distinctum. Sub posterioribus titulis extat in Vaticana, in Vindobonensi ac Colbertina, sub primo excusus est Venetiis ac Cremonae cum duplici Comm., ac Cremonae quidem una tantum vice, videlicet anno 326, Ch. 1566, non 1564, ut typogr. mendo legitur apud Wolfium priore loco. Altera enim editio Cremonensis an. 260, Ch. 1500, ab eodem Wolfio ac Maitterio allata, supposititia est, ut in *Annalibus* nostris *hebraeo-typ. XV seculi* ostendimus. Eum etiam cum latina versione, sed valde mendosa, subque mendoso Simeonis nomine Basileae antea ediderat Munsterus. Binos alios operis codices habes sub num. 458 et 750, annum vero qui hucusque ignorabatur, absolutae hebr. Mosis

Tibbonidis versionis, ad primum ex posterioribus hisce codicibus.

Cod. 178

Jotzeroth seu *Hymni sacri* totius anni, memb. rabb. in 8.° sec. xv.

Inter eos Hymnus R. Menachem Machirì, auctoris ignoti, alter Jehudae Levitae ante festum purìm, Pirkè avòth, Azaròth Gavirol, et R. Eliae, Tachanun R. Isaiae, Techinà R. Isaaci, et Rescud Kadisc R. Jeh. Levitae.

Cod. 179

Meghilla seu *Estheris Volumen* membr. sec. xvi.

. Est mediocris magnitudinis, hisp. characteris, columnae vero linearum 28.

Cod. 180

1.° R. Nathan fil. Jechiel *Arùch*, seu *Lexicon talmudicum*.

2.° R. Samuel gamah fil. Jacobi, vel Agur *Appendix Arùch*.

3.° Tikkun scetaroth, *Forma instrumentorum*.

4.° R. Meir *Seder beracòth*, *Ordo benedictionum*, memb. rabb. nitid. in fol. an. 1396.

Nathanis Lexicon in hoc codice, quod singulare plane est, per capita dividitur, quodque magis notatu est dignum, exhibet ad calcem bina auctoris carmina, in quorum primo testatur is se opus istud absolvisse anno ab orbe condito 861 IV millenarii, a destructo sanctuario 1033, aerae contractuum 1413, qui incidit in annum aerae christianae 1101. Mendi ergo redarguit codex noster alterum codicem ab auctore *Scalsceled* allatum p. 41, et a Wolfio notatum T. I p. 921, in quo dicebatur absolutum opus anno 4865, Chr. 1105. Nam si supputas annos qui subjiciuntur destructi templi et contractuum, ii dant et annum nostrum 1101, non 1105. Sequitur Samuelis Gamàh, sive Agur opusculum Nathanis Lexicon supplens, quod ineditum, immo et ignotum esse, supra observavimus ad codicem 140. Ad hujus calcem hoc librarius sui testimonium posteris reliquit: » Finitum porro est opus ministerii sancti, quod exaravi ego Jekuthiel minimus in millibus fil. R. Jechiel praestantissimi medici fel. mem. fil. Jekuthiel de Bethel hic in urbe Perusiae anno 5159 a creatione mundi, absolvique illud mense ijar, die xxv aprilis, scripsique ad usum praeceptorum meorum ac fratrum clar. R. Nathanis ac R. Isaaci filiorum R. Mescullàm Rophè fil. Abr. fil. Joabi de Bethel, quorum memoria sit in benedictione ». Qui sequitur typus contractuum, dici-

tur in fronte esse juxta consuetudinem Romae. Sed Romae vocabulum tum hic, tum deinceps, uno excepto loco, deletum est. Ordo benedictionum crebra habet scholia, ejusque auctor est procul dubio Meir Rothenburgensis, quem a R. Meir fil. Baruch Rothenburgensi *Juchasin*, ac Wolfius distinguunt, alii vero plures eundem cum eo esse opinantur. Vide fuse de hoc disserentem Azulai P. I *Scem aghedolim* fol. 56. Idem sane videtur Meir noster cum eo, cujus extat jotzèr et aliae preces in Machazorìm. Figura candelabri codex explicit.

Cod. 181

R. Sal. Jarchi *Comm. in Pentateuchum*, V *Meghilloth*, seu *Ruth*, *Canticum*, *Threnos*, *Ecclesiastem*, *Esther*, *in Psalmos*, *Proverbia* et *Job* cum *supplementis* R. Samuelis fil. Meir, et R. Jacobi Naziraei, membr. rabb. in fol. max. 3 col. sec. XIII vel in. XIV.

Splendidus, antiquus, bonaeque notae codex, qui habet librorum titulos, item Psalmorum ac Jobi sectiones, pergrándibus litteris eleganter ornatis insignitas. In Exodo occurrit etiam figura candelabri vario colore variisque animalibus condecorata. Praeter infinitas quas exhibet Rascianus textus discrepantias et additamenta, ad Jobi XI 27 singularis extat nota, docens hic intermortuum esse auctorem, seu a Deo assumptum, deinceps vero commentatum esse filium filiae ejus, seu ejus nepotem R. Samuel. seniorem, fratrem R. Jacobi, Isaaci ac Salomonis, qui omnes filii erant R. Meir senioris filii Samuelis. Quod anecdoton nescio an ullus alter codex servet; silent sane de eo omnes bibliographi. Ac conditio ipsa hodierni contextus illud ostendit, in quo praecedentium versuum resumitur expositio, ac nonnullorum repetitur. Idem ergo illustris Jarchii nepos, per compendium Risbam dictus, qui talmudicos avi labores supplevit quoad eos tractatus, quos inexplicatos reliquerat, supplevit et Jobi commentarium. Hanc Samuelis appendicem excipit expositio altera responsionis Jobi desumpta ex commentariis R. Jacobi Naziraei, quorum nulla iterum in Wolfio aliisque scriptoribus extant vestigia. Sub finem desunt nonnulla.

Cod. 182

R. Levi Gersonidis *Comm. in Job*, membr. ital. in 4.° min. 2 col. sec. XIV.

Sub finem auctoris extat nota testantis se opus absol-

visse die xxiiI mensis tebeth an. 5086. Quae et in aliis codicibus legitur.

Cod. 183

Anon. lèkach tov *Doctrina bona*, membr. rabb. in 4.° 2 col. sec. xiv vel in. xv.

Ineditum et ignotum opus, in octo tractatus vel sectiones divisum, et metrice exaratum, in quo potissimum de precibus ac praeceptis agitur. Desinit sub init. sect. viiI.

Cod. 184

1.° Pirkè avòth seu *Capitula patrum* cum *Comm.* r. Mescullam fil. Kalonymi de Roma.

2.° Anon. *Lexicon breve heb.* chart. rabb. in 12. sec. xv.

Commentarii auctor colligitur ex verbis, quibus explicit, si ea quidem, ut videntur, de expositione integri libri, sunt intelligenda: » Sic exposuit r. Mescullam fil. r. Kalónymi de Roma. Finitus et absolutus ». Hunc scriptorem vix memorat Wolfius t. I p. 902, de hoc autem opere silet profunde.

Cod. 185

Pentateuchus cum *Libro Esther* sine punctis, membr. german. in fol. an. 1304.

Tikkùn sopherìm, seu typus scribarum ad conscribenda publica Pent. et Estheris volumina, unde sine punctis et cum consuetis litterarum coronulis est exaratus. Quodque adhuc rarissimi codicis pretium auget, praeter notas masorae parvae, et nonnullas magnae, saepissime ad marg. producuntur variae lectiones plurium antiquiorum et aestimatiorum codicum, quorum alii quidem diu notissimi sunt ac celeberrimi, alii prorsus ignoti. Pentateucho subjicitur elenchus litterarum majuscularum et minuscularum, haecque librarii nota: » Benedictus qui dat fesso robur. Roborare et fortis esto. Jacob fil. r. Isaaci fel. m. scripsi hunc Pentateuchum . . . anno 64 min. supp. feria iv parascà ויקהל ».

Cod. 186

Biblia, seu *Prophetae omnes priores ac posteriores, et Agiographa*, membr. ital. fol. 2 col. sec. xiv.

Incipit Jos. xxiI 32, et deficit Isaias ac Nehemias, desinens ad Esd. vI 8. Unicus I Paral. xiv 7, fere unicus Ezech. xvI 30, Mich. v 1, Prov. xiI 8, xvI 13, Dan. ix 23, rarus Jud. ix 53, Ose. viI 5, Dan. viiI 27, iI Par. viI 17 et 22, xxviiI 13.

Cod. 187

Biblia cum *Masora*, memb. hisp. in 4.° 3 col. an. 1473.

Nitidissimus summaeque elegantiae. Sub init. ac finem

pulcherrimi occurrunt ornatus, litteris constantes minutissimis, qui psalmos comprehendunt miro artificio dispositos. Idem ornatus in Exodo Mosis canticum circuit, distinguitque plerorumque librorum exordium vel finem. Saepe etiam artificiose masora distribuitur, libri poetici metrice conscripti, a Paralipomenis incipiunt Agiographa juxta ordinem hisp., sed Proverbia Job. praecedunt juxta germ. In fine haec leguntur: » Ego Moses scriba filius R. Jacob fil. R. Mosis ben Calf fel. m. scripsi hos XXIV libros auro pretiosiores .... absolvique illos feria IV die XVII mensis adar anno a condito orbe 5233 ». Codex in collatione unicus II Reg. III 24, II Paral. XXXIII 14, fere unicus Jos. XIX 30, Isai. XXXIX 2, Ezech. XXVIII 12, XLVIII 21, 28, II Paral. XXXV 3, unus e perpaucis Jos. XVIII 17, Jerem. XLVIII 4, Ezech. XVI 4, Eccle. I 10, II Paral. XXV 26 et 28, et XXXIII 18.

Cod. 188

Job, Proverbia, Cantic. cantic. cum *Comm.* Gersonidis, membr. et chart. in 4.° in. sec. XV.

Textus charactere quadrato italico, Comment. rabbinico. Incipit Job IV 3, desinit Cant. VII 4. In *Scholiis criticis* rariorem exhibet lectionem Prov. XXVI 12, atque unicus est Jobi XXXVI 33.

Cod. 189

1.° R. Isaaci de Korbeil, *Liber praeceptorum parvus*.

2.° Anon. sive R. Jonae Toletani *Liber chajè olàm, vitae aeternae*, memb. rabb. 4.° min. 2 col. an. 1327.

Sub initium contractus occurrit venditionis an. 198, Chr. 1438, ex calce huc a bibliopego translatus. Adest sub finem primi libri epigraphe: » Ego Zacharias fil. R. Mosis scripsi hunc librum parvum praeceptorum in gratiam praeceptoris mei R. Chaiim fil. R. Mosis absolvique illum nocte feriae IV sect. tetzavè an. 87 ». Idem scribae nomen legitur ad calc. libri seq. חיי עולם, anonymi quidem in hoc nostro codice et aliis plerisque, sed qui ex fide cod. 1233 R. Jonae Toletano est tribuendus.

Cod. 190

1.° Anonymi Liber תניא *Tanìa*, seu *Traditionis*,

2.° Anonymi *Comm. in Psal. CXLV*.

3.° Anon. *Observationes in talmudicos tractatus Beracòth, Taanith*, et *Meghillà*. chart. rabb. 4. min. sec. XV.

Praecedit ordo sectionum Pent.. Libri Tanìa, magnae apud judaeos existimationis,

incertus est auctor. Quidam ut Ganzius, Buxtorfius, et ex parte Wolfius, eum R. Jehudae filio Biniamini assignant, qui est auctoris praeceptor, non auctor, cujusque auctoritas saepe producitur. Quod si ob ejus testimonia auctor dici et potest, et debet, quot alii erunt libri hujus auctores, qui totus est veluti perpetua rabbinorum de judaicis ritibus commentatio, traditio ac catena? Nec is, si id valet, Jehudae filio Biniamini esset vindicandus, sed potiori jure Sedeciae filio Abr. Rophe, vel Biniamino filio Abr. ejus fratri, vel Isaaco filio Abbà Marì, quorum dantur insignia excerpta, vel integrae constitutiones. Alii, ut Simeon Levita in praefatione Cremonensi hujus operis editioni praefixa, eumque secutus Elias Zotà, ex fide oralis traditionis illud Jechieli filio Ascer adscribunt, quod et verba *Ego autem scriba Jechiel*, quae in libro ipso leguntur, videntur confirmare. Quod paucis, sed invicte auctor *Korè adoroth*, *Sedèr adoròth*, et Azulai in II P. *Scem aghedolìm* confutant. Quomodo enim Asceris filius in tanta auctorum farragine doctissimum patrem, qui hos eosdem ritus cumulatissime illustraverat, ejusque scripta omisisset diu et ubique pervulgatissima? Itaque paullo verisimilius putat Conforti in *Korè adoròth* Jechielem filium Jekuthielis Rophè, qui et *Mahalòth amidòth* edidit, librum Tanià composuisse. Sic sentiendi argumenta plura auctoris testimonia suppeditant, qui Biniaminum fil. Jechielis avum suum appellat Biniaminum alterum fratrem suum, Sedeciam vero fil. Biniamini fratrem suum secundarium, seu patrui filium, ex quibus colligi videtur auctorem Tanià esse ejusdem cognationis cum Sedecia fil. Abr. Rophè, ac verisimilius Jechielem fil. Jekuthiel ejus consanguineum, Arisbae atqueAscer coaevum.

At vero conjectura haec, quae prima fronte videtur probabilis, re accuratius examinata, futilis aeque deprehenditur et inanis. Primo enim non satis certum est, quod fundamenti loco assumitur, auctorem Tanià Jechielis nomen habuisse, productaque verba *Ego scriba Jechiel* codicis potius amanuensem significant ejusque additamentum, quam auctorem libri. Nec planius id ex contextu fieri potest, quum ubi ea verba legantur, non innuatur, pluriesque librum revolvens, ea non repererim. 2.° ubi in capitulo de lectione libri legis legit editus hodiernus textus *R. Beniamini avi*

mei fil. R. *Jechiel,* tres mss. mei codices, 190, 622, 959, summa omnes consensione habent *fil. Sedeciae,* non Jechielis. Hinc argumentum ex avo deductum infirmum plane est ac nullum, illeque auctoris Tanià avus non modo ab editionibus et *Korè adoròth,* sed et a Wolfio omnino detrudendus. 3.° Ea testimonia *Beniamin frater meus* extant in Comm. Agadà, quem non animadvertit Conforti non esse auctoris Tanià, sed Sedeciae filii Abr. Rophè, ex ejusque *Scibbolè alèketh* depromptum. Est ergo hic, qui loquitur, qui reapse fratrem habebat nomine Biniaminum. Adde plerosque illos textus, ubi fratris Biniamini occurrit mentio, in nostro hoc codice 190 alioque 622 deesse, in aliis vero fratris nomen omitti. 4.° Sic testimonium alterum, in quo Sedecias fil. Biniamini vocatur frater auctoris secundarius ex eodem Agadae comm. desumptum est, quod iterum Confortius non animadvertit, adeoque non est auctoris Tania, sed auctoris Scibbolè alekèth, qui revera habebat patrui sui filium ejus nominis. Nam ex Lonzani nota ac testimonio a Conforti ipso allato fol. 21, » R. Sedecias filius Abr. Rophè fratrem habuit et ipsum doctissimum, nomine Biniaminum, eorumque patruo, fratri patris eorum R. Biniamino Rophè bini et ipsi filii fuerunt, quorum alter R. Sedecias appellabatur, alter natu major R. Jehudà, qui et auctoris Scibboleth praeceptor extitit ». Postremus ergo Sedecias est prioris illius filii Abrahami frater secundi ordinis, vulgo *cugino*. Nec auctor Tanià, si ad hanc domum ac familiam pertineret, esset illius Sedeciae frater secundarius, sed nepos, quia esset Sedecias filius Biniamini frater Jekuthielis. 5.° Ut cohaereret ea opinio, Biniamin Rophè praeter Jehudam ac Sedeciam filium habere debuisset nomine Jekuthielem Jechielis patrem, quod non constat, nec ex ullo testimonio probari potest. Tandem, quod non exiguum ad retundendam sententiam hanc pondus habere arbitror, quare auctor Tanià qui frequentissime profert sive Sedeciam filium Abr. Rophè, sive Biniaminum ejus fratrem, nullibi eos fratres suos secundarios appellat? Cur proferens Jehudam filium Biniamini, quod fit saepissime, nunquam eum patruum vocat? Haec de primi libri auctore sufficiant. Quae tertio loco occurrunt observationes, eae videntur esse Arisbae, cujus extant in talm. tractat. *Chidduscin,* seu nov. Expositiones.

Cod. 191

Prophetae priores seu *Josue, Judices, Libri Samuelis ac Regum*, membr. hisp. fol. maj. 2 col. sub fin. seculi xiiI.

Incip. Jos. xiiI 16, unicusque est iI Sam. vI 22 et xvI 15.

Cod. 192

Estheris Volumen membran. sec. xvI.

Forma mediocris, character hisp., lineae 21.

Cod. 193

Agiographa, seu *Psalmi, Prov., Job, Daniel, Canticum, Threni, Ruth, Ecclesiastes, Esther*, memb. hisp. 4.° min. sec. xiiI.

Libri poetici metrice divisi, unicus in collatione Job xxiv 12, fere unicus Dan. ix 26, sed mutilus in fine Psal. ac initio Prov.

Cod. 194

1.° Anon. דברי הימים של משה *Divrè ajamìm scel moscè*, seu *Historia Mosis*.

2.° פטירת אהרן *Petiràd aaròn*, seu *De morte Aaronis*.

3.° פטירת משה *Petiràd moscè*, seu *De morte Mosis*.

4.° *Liber Tovì*, seu *Tobiae*.

5.° *Liber Eldad Danitae*.

6.° *Mislè*, seu *Proverbia Sandabàr*.

7.° *Mahassèh jeruscalmì*, vel *Historia hierosolymitani* ex heb. versione R. Abrahami fil. Maimonidis.

8.° *Liber* חנוך *chanòch*, seu *Henochi*.

9.° *Parabolae Salomonis*.

10.° Aesopi *Aenigmata*, vel *Fabulae*.

11.° *Historia Josuae fil. Levi*, chart. rabb. 4.° sec. xv.

Singula haec opuscula simul excusa sunt CPoli an. 1517, collataque cum editione ipsa perrara, quae ad manus est, cum ea conspirant, paucissimis exceptis nullius momenti. De ea collectione CPolitana agit Wolfius T. iI p. 1278, sed male ei an. 278, Chr. 1518 assignat, nec in librorum ordine Petirad moscè praecedit, ut ipse adfirmat, Petirad aaron. Referens autem plerosque libros suis locis mendosam eam aeram saepe repetit, veraque editionis forma, in qua haeret dubius, et saepe errat, est in 4.° minori. Primum librum fuse enarrat eo loco, Mislè Sandabar T. I p. 931, Mahassèh jeruscalmì pag. 87, recenset utramque Petirà sub anon. classe num. 549 et 550, sed reliquos sicco pede praeterit, vix eorum titulos innuens. Recte tamen notat sub num. 453 eas Salomonis parabolas esse narrationem rerum quae Salomonis tempore gestae feruntur. De Mislè Sandabar, vel Sendabar V. annotata ad

cod. 1087. Hierosolymitani porro viri Mahassè seu Historiam, ab Abr. Maimonide fuisse heb. translatam aperte docet ejus titulus sive ms., sive editus. Cel. porro Maimonidis filius is est, nonnullaque alia scripta, inter quae et patris apologiam, edidit. V. Wolf. T. I pag. 87, et III sub num. 114, et 118 b ab eo perperam distincto, et quae annotamus ad cod. 772, et in *Bibliotheca jud. scriptorum* T. II p. 34.

Cod. 195

1.° R. Isaiae Tranensis, dicti prioris, *Comm. in Prophetas priores*, seu *Josuam*, *Judices*, *Libros Samuelis ac Regum*.

2.° R. Biniamini fil. Jehudae *Excerpta ex Comm. in libros Regum*.

3.° Ej. R. Isaiae *Comm.* in Isaiam, ms. membr. rabb. 4.° sec. XV.

R. Isaiae Comm., seu Scholia in Josuam, ex Lipsiensi ms. anno 1712 edidit Abichtius, in Judices ac Samuelem in Bibliis magnis seu rabbinicis anni 1549 Bombergius, in Venetis seq., Basileensibus, Amstelodamensibus recusa. Inedita sunt quae sequuntur in libros Regum una cum Biniamini excerptis, ut et Comm. in Isaiam, in titulo anonymus, sed ex collatione aliorum codicum priori auctori adscribendus. Quae enim afferuntur ex R. Biniamino, tamquam supplementa inserta sunt, nec ullus quem norim, extat ejus Comm. in Isaiam. Perbrevis, praecisus, litteralis, grammaticus, optimaeque notae est uterque Commentarius, totidem veluti scholiis ac notis constans, quae tamen sunt in mss. codicibus, quoad R. Isaiam, editis aliquanto pleniores.

At vero cujusnam R. Isaiae sunt hi commentarii in Scripturam, qui tum in hoc, tum in aliis nostris exterisque codicibus sub ejus nomine circumferuntur? Prioris ne, an posterioris? Posteriori filio Eliae, prioris nepoti seu filio filiae ejus, eos vindicandos esse putat Wolfius T. I p. 706, et III p. 628. Idem sentiunt le Longius aliique auctores. Ego vero potiori jure priori attribuendos opinor. Sanè non pauci in nostra hac supellectile occurrunt R. Isaiae mss. commentarii ac codices. Extant ejus Commentarii in Prophetas priores ac posteriores in codicibus 195, 393, 470, in Psalmos in 308, 470, in Jobum in 308. Omnes tum in titulis, tum in epigraphis, nudum ac simplex R. Isaiae habent nomen, ne unus quidem filium Eliae, aut additamentum aliud, quo intelligatur posterior. Idem

habet codex Lipsiensis, idem Masianus, Anslarianus, Oppenheimerianus, nec dubito, quin idem habeant Parisienses omnes in edito eorum *Catalogo* R. Isaiae filio Eliae perperam attributi. Atqui nudo ac simplici R. Isaiae nomine communiter prior intelligitur, quique simpliciter eo nomine producitur in libris *Scibbolè allèket, Tanià, Arbà turim,* ac *posekim,* semper censetur primus, consentientibus idque expresse monentibus judaeorum auctoribus. Quum vero secundus affertur, is dicitur ריא״ז vel רי״כא, seu postremus vel Eliae filius ad prioris distinctionem, sique ullus est codex posterioris, qui communi nomine utatur, alii extant qui rem definiant, moneantque ejus esse, non alterius. Quod aliter omnino, ut diximus, se se habet in casu nostro. R. Azarias de Rubeis bis profert in *Meòr enàim* sub generico eo nomine R. Isaiae Tranensis vel R. Isaiae auctoris nostri Commentarios, in Pent. fol. 127 a et Esdram fol. 83 b. Idem faciunt quotquot ex judaeis eos commentarios laudant, idem qui omnium primi nostri scholia in Judices ac Samuelem in Bibliis rabbinicis ediderunt. Immo vero in iisdem Bibliis vocatur is gaòn, seu eo honoris et aetatis titulo, qui priori magis competit. Congruit interna ipsa commentariorum conditio. In iis enim diligenter collatis nullus producitur auctor sec. XII recentior. Jarchius enim qui laudatur, in eam aetatem incidit. Quo proditur auctor, qui exeunte XII seculo floruerit, ut floruit, Wolfio ipso teste, Isaias primus. Postremus enim floruit decurrente XIII. Ac fidem quidem faceret opinioni nostrae indubiam ac luculentissimam aetas ipsa superstitum codicum, si verum esset, quod de codice Anslariano tradunt ejus bibliothecae *Catalogus* p. 36 et Wolfius T. I p. 706, eum ex autographo Aben Ezrae Rhodi descriptum fuisse anno 1156. Quomodo enim codex sec. XII conscriptus referri potest ad auctorem sec. XIII? In hoc tamen paradoxon incaute labitur Wolfius, qui eum codicem ac commentarios eo contentos tribuit R. Isaiae posteriori. At vero egregie falluntur Anslariani *Catalogi* auctores eosque coeco impetu secutus Wolfius, eam epigraphem et aeram referentes ad codicem R. Isaiae, quae manifeste referenda est ad Comm. Aben Ezrae, qui illum supplet, et quidem ad unum ejus autographum. Plura nos de hoc infra ad cod. nostrum 393 Anslariano si-

millimum, qui R. Isaiae Commentarios habet in posteriores Prophetas Abenezriano suppletos cum eadem epigraphe. Extant tamen mss. codices nostri auctoris sec. XIII certo exarati, inter quos Parisiensis an. 5057, Ch. 1297, non 1287, ut mendose habent le Longius ac Wolfius. Ex his quae cursim hucusque observavimus non frustra videmur colligere hos Commentarios R. Isaiae priori potius, quam posteriori esse vindicandos. Quod et alios auctores ante nos videmus sensisse. Bartoloccius Isaiam Tranensem, cui tribuit observationes in Pent., ab Isaia filio Eliae distinguit, male a Wolfio notatus. Tribuit ergo priori. Priori etiam eas aperte assignat Azulai in II parte *Scem aghedolim*, commentariis reliquis omnibus, editis ipsis, quod mirum, praetermissis, quos non videtur agnovisse, aliisque contra memoratis operibus, quae, ut suo loco demonstrabimus, Isaiae posteriori ac nepoti erant assignanda. Sed eos omnes commentarios, in Pent. Prophetas, Agiographa, longe ante Azulai memoraverat, nostroque auctori R. Isaiae priori et ipse tribuerat, R. David Conforti in suo *Korè adoròth* fol. 15 a, ubi brevius quidem, sed accuratius, de illius scriptis agitur. Ante hos duumviros levia extant scriptoris hujus vestigia, ut jure ac merito doleat Abichtius in praef. ad ejus *Comm. in Josuam* a se editum et illustratum, de eo pauca inveniri memorata, etiam ab illis, qui opera data judaeorum scripta recensuerunt, nullam penitus mentionem ejus facere Zacutum in *Juchasìn* et Ganzium in *Tzèmach David*, vix tribus verbis illius meminisse Bartoloccium, penitus silere Sabbathaeum de Isaiae nostri scriptis, nisi quod Biblia Veneta ac Basileensia recensens, memoret ejus comp. Comm. in libros Samuelis in dictis Bibliis exhiberi. Haec Abichtius, qui subdit plura procul dubio de hoc auctore docturum virum doctum in patria dilecta, quem *Bibliothecam rabbinicam* completiorem meditari ex *Ephemeridibus Lipsiensibus* nuper didicerat. Sed eum quidem spes et eventus fefellit, nam Wolfius, quem innuit, brevissime et imperfectissime de eo egit sub n.° 1305, et adeo negligenter, ut ex binis, quae sola et quidem ex aliorum testimonio commemorat, ejus scriptis, secundi titulum mendosissime describat T. I p. 708. Etenim R. Azarias in *Mèor enàim*, ad quem provocat, recte illud inscripsit ס' המחוורת *Librum repeti-*

tionum, non per binas dictiones aliaque prorsus lectione ac significatione הטת דורות *Hae generationes*, ut falso inscribit Wolfius. Observationes illae nostri auctoris in Pent. quas supra innuimus, nuper editae sunt. V. Azulai *Vàhad lachachamìm* f. 31 b, et *Dict.* nostrum *jud. auct.* T. I p. 175.

Cod. 196

Biblia *cum Masora*, membr. hisp. fol. maj. 3 col. sub fin. sec. XIII vel in. XIV.

In splendido hoc egregioque codice multa praemittuntur ac subjiciuntur, quae ad sacram criticam potissisimum spectant, totidem columnis disposita, varioque colore et atramento eleganter exarata. Inter haec eminent חלופים, seu permutationes similium locorum, vel parallelorum, qui a scribis confundi possunt vel solent, ansamque praebere erroris, tum variae lectiones ben Ascer, et ben Naphtalì. Masoreticas has observationes universumque codicem claudit typus describendi Mosis cantici, quem rubro charactere singularis haec nota circumdat: » Summa vel recensio Bibliorum est ex masora, vel traditione, quam tradidit Chasa fil. Eleazaris fil. R. Aphesì, qui eam accepit a R. Jehuda Babylonico, qui accepit a Simeone patre suo et Simeon pater ejus a R. Ada. Erat autem R. Ada eo tempore vir insignis in sacro textu, qui acceperat a R. Amenunà qui eam produxerat in Nehardea. Porro R. Amenunà et R. Ada ambo acceperant ex Menachri, qui deportatus fuerat de terra israel in Babyloniam, captivus factus a Rufo, ne subsisteret lex in Palestina. Jam vero ii recensuerunt Pentateuchum, Prophetas, Agiographa, seu libros sacros XXIV ». Ita Chasa, Menachri, Rufo, non Dosa, Menachai, Doses, ut legit Fourmontius in Diss. de epocha punctat. heb. in *Mémoires de l'acad.* T. XIII p. 502, ubi haec eadem nota ex regio cod. Paris. 5, qui et ipse eam continet, producitur. Habet codex poeticos libros per hemistichia divisos, masoram utramque, rarissimas lectiones. Unicus Jos. XIX 13, Amos V 26, Prov. XIV 2, fere unicus Psal. XVIII 32, unus e paucissimis II Paral. XXV 23.

Cod. 197

Pentateuchus cum *Aphtaròth* seu *Sectionibus propheticis totius anni* membr. rabb. 4.° min. vel 12. maj. 2 col. sec. XV.

Epigraphe: » Ego Joab scriba de Bethel fil. medici R. Jechiel scripsi hunc elegantem Pentateuchum cum

Aphtaròth pro fratre meo Jechiel fil. Menachèm fel. m. scripsique eum ad gloriam et laudem Dei ad usum Dolce bella, sponsae dilectae filiae ejus unicae.... Scripsi ego Joab majorem partem, reliqua benedictionis filius meus Jechiel, qui punctis eum ornavit et absolvit hic Reate ». Haec eadem metrica alia epigraphe 18 versuum ej. scribae summatim concludit. Est singularis et unicus Num. xxxiiI 33.

Cod. 198

Machazòr seu *Preces diei festi paschatis* et *scevuòth* ritus polon. cum *Cantico canticorum, Ruth,* ac *sectionibus Pent.* ac *Proph.* membr. germ. in fol. sec. xiiI.

Recentiore manu sub finem suppletus. Unicus Exod. xxxiv 14, Ruth iv 4, fere unicus Ezech. xxxviI 7. Habet et Jotzèr r. Meir fil. Isaaci, ac varios r. Simeonis fil. Isaaci, Keruvà r. Mosis et Maharìv Eliezeris bar Nathan de Moguntia.

Cod. 199

Pentateuchus in forma voluminis membr. germ. aetatis iI seculorum.

Publicum sinagogae volumen, vulgo *sèfer torà*, insignis molis cum suis amudìm seu columnis. Est sine punctis et cum coronulis litterarum, ut esse solent volumina. Quaelibet col. constat lineis 68, saepeque apparent abrasiones et correctiones. Sacra sinagogarum volumina, quum a judaeis vendi nequeant, in christianorum bibliothecis ac manibus sunt rarissima et religiose ut sunt ad masorae leges plerumque descripta, raro discrepant. In hoc tamen non desunt variae lectiones, etiam rarioris commatis, quae falsitatis arguunt, quae de omnimoda ac perfectissima eorum convenientia in sua *Nomologia* scribit Aboabus. Qui recte notat ea non habere aeram temporis adscriptam, nec nomen librarii, ceu in biblicis aliis codicibus observari solet non convolutis, atque hinc de illorum antiquitate certo non posse judicari, nisi fama vel traditione id innotescat, vel, quod addendum, ex consuetis paleographiae signis.

Cod. 200

Aphtaròth, seu *Lectiones proph. totius anni*, membran. hisp. 4.° min. sec. xiiI.

Cod. 201

R. Abr. Peritzol vel Farissol פרחי שושנים *Pirchè soscanim, Flores liliorum,* char. rabb. 4.° an. 1500.

Ita de auctore siglam interpretor, quae bis sub init.

operis et codicis occurrit, quem auctoris ipsius esse autographum evincit characteris similitudo ac collatio cum ceteris codicibus quos servamus, propria manu conscriptis. Liber sistit notas in Pent. non modo ineditas, sed et ignotissimas. Varia alia annotata complectitur codex, inter quae ad calcem aliae notae anon. in Pent. sed imperfectae. Primi operis titulum annus excipit minoris supp. 260.

Cod. 202

Proverbia cum *Comm.* R. Levi Gersonidis, membr. ital. 4.° maj. an. 1453.

Sacer textus ad marg. occurrit, partim cum punctis, partim sine iis exaratus. Ad calcem majorib. litteris haec leguntur: » Hicque absolvitur iste commentarius, cujus finis incidit in diem VI mensis tisrì an. 214 min. supp. » Verum annum quo ab auctore Comm. est absolutus, habes infra ad cod. 805, qui eundem exhibet sub nomine mestre Leon. Rarior codicis lectio cap. XXVI a in *Scholiis criticis*.

Cod. 203

Job cum *Comm.* R. Levi Gersonidis, membr. ital. nitid. in 4.° maj. sec. XV.

Ej. characteris, scribae et formae cum praecedenti. Sub finem auctoris epigraphe occurrit, in qua asserit se expositionem hanc absolvisse feria II, die XXIII tebeth an. 5086 sexti millenarii.

Cod. 204

Psalterium cum *Comm.* R. David Kimchì, membr. ital. in 4.° maj. an. 1485.

Nitidus ac perpulcher codex, diligenter scriptus, sub cujus finem haec leguntur: » Absolutum porro est opus et atramentum vel descriptio. Fuitque hodie feria II die XXV mensis ellul an. 245, quod illud scripsi hic in urbe Mutinae quae est in confinibus Lombardiae. Ego librarius Joel fil. Simeonis fel. m. germanus complevi hunc Comm. Psalmorum pro domino Emanuele fil. Isaaci fel. m. Mutinensi ». Uterque textus charactere exaratus est quadrato, ac sacer quidem ad latus Kimchiani in margine sine punctis. Rariorem ejus lectionem habes Psalm. XVIII 27. Kimchianus integer ubique ex prima manu quoad ea loca, in quibus aperte christianam religionem oppugnat, sed inquisitorum studio ea sunt abrasa. Quod studiosissime factum est in plerisque codicibus quos possidemus, numero octodecim, vel novemdecim, potissimum in insigniori ac fusiori loco Psalmi II, ubi

de Messia agitur. Bini tamen, 897, 1111, emendatricem manum effugerunt, eaque loca servant intacta. Si cui ergo libet illa conferre et ad trutinam expendere, vel hi paucissimi rarissimique codices intacti adeundi, vel antiquae editiones, omnium princeps anni 1477, Neapol. an. 1487, Isnensis an. 1542.

Cod. 205

1.° R. Josephi Caspì *Comm. in Aben Ezrae Comm. in Pentateuchum*.

2.° R. Esdrae fil. Sal. Estrok *Comm. in Aben Ezram in Pentateuchum*.

3.° R. Simeonis Motot *algebrae Institutiones*, membr. et chart. in 4.° an. 1400.

Primum opus membr. ac charactere quadrato italico, reliqua duo rabbinico exarata sunt et chartacea. Caspii Commentarium, ut ineditum et extantem in Vaticana et Oppenheimeriana, memorat Wolfius T. I p. 543 et III p. 407. De Vaticano vide *Catal.* T. I p. 27 ad cod. 36. Is ex Uri *Catal.* extat etiam in Bodlejana. Caspius ipse in praef. ad *Kevutzàd achèsef* inter cetera sua scripta Comm. hunc memorans, eum appellat פרשת הכסף, seu *Expositionem argenteam*. Conf. dicenda ad cod. 755. Ad calcem haec legitur scriptoris nota: » Descripsi eum hic in urbe Bononiae mense ijar anno 160 », Ch. 1400. Qui sequitur Estrokii Comm. in Aben Ezram, inscribitur סוד ה' *Arcanum Domini*, teste auctore ipso in praef., deque eo Wolfius T. III p. 870 ex cl. Gagnerii litteris et Uri *Catal.* Bodlej. p. 29 ad cod. 159 qui illum complectitur sub eodem titulo. Sed codex noster pro fil. Gatnin legit fil. Gatigo. Ac qui supra sub Aben Ezra p. 47 a Wolfio profertur, vel innuitur R. Esdrae fil. Sal. Comm. in Aben Ezrae libellum סודות התורה *Arcana legis*, ipsissimus procul dubio est noster hic Estrokii ab eo perperam distinctus. Quod et de codicibus dicendum est, Pocockiano et Oppenheimeriano ibidem memoratis, in quibus Aben Ezrae mysteria explanantur. Forsitan nec temere suspicatur le Longius in *Biblioth. sacra* p. 716 Aben Ezrae librum, dictum Secretum vel Secreta legis, eundem esse cum Estrokiano nostro, qui dicitur Secretum Domini ipsaque Aben Ezrae mysteria, seu obscura et abdita loca illustrat. De postremo opusculo institutionum, vel regularum algebrae R. Simeonis Motot, nihil Wolfius, non librum modo, sed et auctorem omittens. Libellus tribus foliis absolvitur, et sub ejus finem plenius auctoris nomen occurrit

Simeon fil. R. Mosis, quem Deus servet, fil. R. Simeonis Motot fel. m.

Cod. 206

R. Tobiae ben Eliezer *Comm. in V Meghilloth*, seu *Ruth*, *Canticum*, *Esther*, *Threnos*, *Ecclesiastem*, memb. rabb. fol. min. sec. XIV.

Ineditum rarissimumque opus, quod Wolfium latuit, quum priora *Bibliothecae* suae volumina edidit, sed tandem ex Gagnerio didicit in Bodlejana inter codices laudanos chartaceum reperiri. V. vol. IV p. 825. Est is cod. 124 novi Uri *Catalogi* p. 23. Latuit et Azulai, quum P. I conscripsit *Scem aghedolim* fol. 28, ubi de nostro hoc auctore ejusque *Pesiktà minore* agit. At vero in II fol. 33 memorat Commentarios in Ruth et Esther ex testimonio R. Sal. ben Alkabètz, libros quidem reliquos praetermittens, sed novum observans titulum לקח טוב *Lèkach tov*, seu *Doctrinae bonae*, sub quo illi in Alkabetzii operibus afferebantur. Hic idem titulus legitur in nostro codice tum sub initium ex duplici eaque sat antiqua priorum possessorum manu, tum in fronte Comm. Ecclesiastis ex manu ejus, qui codicem ipsum descripsit: » Commentarius Ecclesiastis ex Lèkach tov, quem composuit R. Tobias fil. R. Eliezeris fel. m. » Immo vero eundem titulum Lèkach tov alteri auctoris nostri operi, Pesiktae minori, quod anno 1546 Venetiis impressum est, esse communem ex variorum doctorum testimoniis monet Azulai priori loco, subdens praeter editum Pesiktà in Lev., Nùmeros, Deut., ms. aliud in Gen., Exod. ac Samuelem in manus suas devenisse, in quo idem titulus, et auctoris praeterea aetas, hucusque incerta, diserte legebantur. Haec enim habet ad sectionem Exodi: » Anno 4850, qui est a destructo templo 1081, ego Tobias fil. rabbènu Eliezer magni fe. m. inquisivi studiose in libro Dei nostri, dedique cor meum super diuturnitate exilii nostri, quia digressa est manus, seu tractus omnis et spatium, ac defecerunt omnes termini nec pendet res, nisi a poenitentia ».

Florebat ergo auctor anno Christi 1090, haecque ei laus tribuenda, quod post diligens prophetiarum ac traditionum studium et examen terminos omnes diu ac perperam expectati Messiae adventus sincere cum talmudistis fateatur praeterlapsos, quamvis, ut solamen aliquod ferat miserae spei ac nationi, eam poenitentiae conditionem subjiciat, non futilem modo

et incertam, sed et sacris ipsis prophetiis ac verioribus suorum traditionibus plane contrariam. Legantur quae nos olim fuse de hac re disputavimus in *Tractatu de vana judaeorum expectatione*, praesertim §. IV p. 23 et XI p. 35. Sufficiat hic Tobiam Tobiae opponere, ejusque textui textum alium ex hoc nostro codice depromptum ad Thren. III 22, in quo aliter prorsus et multo sanius sentit. » *Gratiae Domini quod non sumus consumpti*. Gratiae Domini per singulas generationes sunt cum israelitis, ut inquit Isaias, *gratias Domini commemorabo, laudes Dei*. Initio ipsi egressi sunt ex Aegypto per gratiam ejus, et in justitia sua eduxit eos, non ob meritum eorum eduxit illos, sed ipse in clementia sua. Sicque quum placuerit Deo benedicto congregare israelitas ex captivitate לא במעשיהם הטובים אלא למענו, *non propter bona eorum opera id faciet, sed propter seipsum* seu sui gloriam, ut dictum est (Ezech. XXXVI 22): *Non propter vos ego operor, domus israel, sed propter me, et propter nomen meum prophanatum in gentibus*. Propterea dicit: *Gratiae Domini, quod non sumus consumpti*, quia non deficiunt misericordiae ejus, benignitates Domini eximiae sunt, quod consumpti non sumus inter gentes ». Non ergo ex poenitentia ac bonis operibus pendet Messiae adventus et israelis redemptio.

Quamquam porro opus istud tum in titulis librorum, tum in variis epigraphis constantissime dicatur in ms. nostro פרוש, seu commentarius, in notis tamen possessorum, quae sub initium leguntur, et ab Alkabetzio eumque secuto Azulai vocatur *Medràs*, quia allegoriam plerumque sequitur, et rationem antiquorum medrascim, expositiones saepe ferens vetustiorum doctorum, multasque traditiones, potissimum de Messia, de futuro seculo, de futura synagogae restauratione ac felicitate, quae non exiguum polemicis nostris scriptoribus usum praestare possunt, et eundem plane, quem praestant medrascìm reliqui antiquiores. Pag. penultima sub finem praeceptoris sui nomen auctor nobis revelat: » Dicit Tobias filius Eliezer nomine praeceptoris sui rabbènu Simson fel. m. », aliosque non paucos hic illic profert in hoc Comm. doctores nobis ignotos. Ms. ille Comm. in Eccle. R. Tobiae, qui, teste le Longio, in Colbertina extat cod. 5446, ego quidem non dubito, quin nostri auctoris sit, idemque cum eo qui nostro codice con-

tinetur, non Tobiae alterius karaei, ut suspicatur Wolfius T. III p. 275.

Cod. 207

1.° R. Mosis Maimonidis *Epistola de resurrectione mortuorum* heb. versa a R. Sam. aben Tibbòn.

2.° R. Kalonymi, Maimonidis discipuli, משרת משה *Mescarèd moscè Servus Mosis*.

3.° R. Samuelis aben Tibbon *Rùach chen, Spiritus gratiae*.

4.° Aristotelis *Liber de meteoris* in comp. redactus, versus et illustratus a R. Sam. aben Tibbòn.

5.° Abunasaris Alpharabii *Liber de principiis naturalibus* ab eodem Tibbonide hebr. conversus.

6.° R. Isaaci Israelitae fil. Salom. *Liber jesodoth* seu *de elementis* a R. Abr. Chasdai heb. translatus.

7.° R. Sam. Tibbonidis *Tract. philos. de congregatione aquarum*, membr. rabb. 4.° sec. XV.

Maimonidis epistol. תחיית המתים de resurrectione mortuorum, diu notam ac multoties editam, habent et codices nostri 260, 438, 770, ex eadem omnes Tibbonidis versione, ex inedita vero alia anonymi et ignota etiam cod. 327. Iis, quae cursim ac nimis breviter de ea adnotat Wolfius T. I p. 860, adde quae in Maimonidis *Vita* tradit *arabica philosophorum Bibliotheca* fol. 356 apud Casirium *Biblioth. arab. hisp.* T. I p. 293: » Philosophorum sectis praecipue addictus epistolam resurrectioni corporum impugnandae conscripsit quam cum illi eam vitio verterent judaeorum principes, domi occultam suis tantum assensoribus impertiebat ». De secundo libro inedito ejusque argumento plura idem Wolfius T. III p. 969, nec ab eo diversus est, qui pag. seq. ex Bartoloccio recensetur ut extans in Vaticana. Eundem librum, cujus auctor ad ceterorum Kalonymorum distinctionem dicitur discipulus Mosis Aegyptii vel Maimonidis, sistunt ex nostris codicibus etiam 371, 514, et 770. De Ruach chen qui pluries et ipse in nostris codicibus occurrit, ejusque auctore, supra diximus ad cod. 40. Aristotelis liber de meteoris, seu אותות השמים *de signis caeli*, pleniorem habet hic titulum, ut animadvertimus ad cod. 171. Sic enim incipit: » Dicit Samuel ben Tibbon interpres hujus libri dicti de meteoris ex lingua arabica in hebraicam in gratiam sapientiae studiosi et intelligentis R. Josephi filii pii R. Israel fel. mem. » Eadem praemittit cod. 771. Abulpharabii liber de principiis natu-

ralibus ס' החחלות הנמצאות, non habet expressum interpretis nomen. At quum Bartoloccii exemplar ferret fuisse illum hebraice conversum a R. Samuele Tibbonide, qui duos alios praecedentes nostri codicis libros jam convertit, non dubito quin ejusdem sit. Praeter hunc nostrum codicem eum exhibent 286, 771, 776. De Alpharabii scriptis conferatur cit. *arabica philosophorum Bibliotheca* apud Casirium T. I p. 190. Ex codice etiam Leidensi, qui dicitur ex arabico hebraice versus a Abr. fil. Sam. levitae f. Chasdai, et ex nostro 423, qui amplissimam ejus praef. habet praefixam, supplendus hic interpres seq. libri inediti Jesodoth R. Isaaci Israelitae, qui tum in hoc codice, tum in alio 771 reticetur. Vide Wolf. T. I p. 667 et III p. 583. De postremo opere conferantur quae diximus ad cod. 169, qui et illud complectitur.

COD. 208

1.° ANON. *Lib.* זכות אדם *Zecud adam, de merito hominis.*

2.° AVERROIS *Compendium logicae*.

3.° Ej. *Comp. libri* Aristotelis *auscultationis phys.* hebr. versum a Mose Tibbonide.

4.° Ej. *Comp. libri* Aristotelis *de caelo et mundo*, ex heb. vers. R. Salom. aben Job.

5.° *Comp. libri* Aristotelis *de generatione et corruptione*.

6.° Ej. *Comp. libri* Aristotelis *meteorologicorum* ex versione Mosis Tibbonidis.

7.° Ej. *Comp. libri* Aristotelis *de anima* ex versione ejusd. Tibbonidis.

8.° Ej. *Comp. libri* Aristotelis *de sensu et sensibili*, ex eadem versione.

9.° Ej. *Comp. libri* Aristotelis *metaphysicorum*, ex eadem versione.

10.° ANONYMI *Observationes* in *libr. metaphysicorum*, membr. rabb. nitidiss. in 4.° min. 2 col. sec. XV.

Primus liber ineditus idem est cum eo quem referunt Buxtorfius *Bibl. rabb.* p. 72, et ex Bartoloccio Wolfius T. II p. 1297. De eo ejusque auctore, hucusque ignoto, sed quem nunc primum Davidem quemdam de Roka martica esse deteximus, legantur quae infra ad cod. 278, ms. alterum operis exemplar, adnotamus. Extat et in Vaticana. Nostrum hoc habet ad calcem nomen scribae Ariè Chelpàn. Illud logicae compendium Averrois, quo summa continetur librorum in hac re Aristotelis, est idem cum edito Ripae Tridenti an. 1560, ubi et editum est quod sequitur, physicae auscultationis vel acroasis. Ad hujus calcem haec leguntur; » Absolutum

est compendium verborum Aristotelis de physico auditu. Laus Deo. Vertit illud ex lingua arabica in heb. sapiens R. Moses fil. R. Sam. fil. R. Jehudae fel. m. ben Tibbòn Granatensis hispanus ». Idem interpretis nomen occurrit sub fin. libri meteorologicorum, et de anima. Idem ad calc. libri de sensu et sensibili addito anno: » Explicit liber de sensu et sensibili Aben Rascad. Laus Deo et confessio nomini ejus magno. Vertit autem illum ex lingua arabica in hebr. philosophus sapiens R. Moses fil. R. Sam. fil. R. Jeh. ben Tibbòn f. m. de Granata Hispaniarum, anno 5014 (Chr. 1254) mense tamuz ». In epigraphe vero quae subjicitur postremo libro metaphysicorum, Tibbonides ipse sic loquitur: » Completa est versio ejus quod apud me extat de hoc libro feria IV die XXV mensis sivan anno 5018 ab O. C. », nostro 1258. Ac verisimile est quae subduntur observationes, ad eundem interpretem pertinere, ut et versiones librorum, qui sunt intermedii excepto libro de caelo et mundo, quem a Salomone aben Job fuisse conversum ex binis epigraphis, cod. Taurinensis ac Jablonskiani, animadvertimus ad cod. 171. Pleraeque in Wolfio supplendae, qui de iis silet sive sub Averroe, sive sub Mose Tibbonide, et pro Samuele aben Tibbon, cui T. I p. 19 assignat interpretationem librorum acroasis, videtur jam ex nostro hoc codice, et ex alio superius descripto 171 restituendum Mosis nostri nomen qui Samuelis erat filius. Quare autem meteorologicorum librum a libro de meteoris distinguat Wolfius T. I pag. 220, ego equidem non video. Unus enim idemque est liber in IV tractatus divisus, qui in nonnullis codicibus, qui eum exhibent ab Averroe abbreviatum et a Mose Tibbonide versum, qualis noster hic est et 776, inscribitur ס' אותות עליונות, in aliis, qui eum sistunt a Samuele Tibbonide commentario translatum et illustratum, ut in nostris 171, 207, 423, 771, dicitur ס' אותות השמים.

Cod. 209

Psalmi, Ruth, Cantic., Threni, Esther, membr. hisp. 12. sec. XIV.

Unicus Ps. XVII 14. V. *Scholia* nostra *critica* in h. l.

Cod. 210

Prophetae priores ac posteriores, seu *Josue, Judices, Samuel, Reges, Isaias, Jeremias, Ezechiel* ac *XII minores*, membr. in 4.° 2 voll. sec. XV.

Nitidus et charactere semirabbinico cum punctis. Ad calcem cujusque vol. extat index aphtararum.

Cod. 211

Prophetae priores, seu *Josue, Judices, Libri Samuelis ac Regum*, et posteriores seu *Isaias, Jeremias, Ezechiel*, ac *XII Minores* cum *Masora*, membr. germ. fol. 2 col. sec. XIII.

Sub init. ac dimidium hisp. charactere recentiori manu suppletus. Pretiosus codex crebris et optimis variis lectionibus scatens, unicus Jos. XIX 7, Judic. I 17, I Sam. IV 10, Isai. LVII 8, Jerem. II 23, XXXV 4, XLVII 2, Ezech. XXVII 6, Amos VIII 9, Mich. I 5, VII 3, Nah. II 6, III 11, Zach. VIII 16, fere unicus II Reg. VIII 7 et 9, Ezech. XVII 7, XXXV 14, Oseae IV 13, VI 5, VII 12, Nah. III 8, Zach. VI 5, rar. Is. XXXVII 24, Jer. II 33, Ezech. XVI 27, Mich. II 11, Sophon. I 17, Obad. 20. A quodam Meir codicem conscriptum fuisse ostendunt initiales litterae idem nomen componentes, lineolis notatae Josuae XI 6.

Cod. 212

Machometis ben Almatani *Praxis tabularum astronom.* hebraice versa a R. Abr. aben Ezra et cum ejus *praefatione*, chart. rabb. in 4.° min. initio sec. XV.

Multa panduntur in praef. recondita. Narrat Aben Ezra nullas ante Alcoranum scientias fuisse apud ismaelitas, post Alcoranum vero multos eos libros scripsisse, sed nonnisi de eorum ritibus ac legibus agentes, donec extitit rex magnus nomine Altzaphac, qui audiens in India plures scientias efflorescere praecepit quaeri sapientem, indicae linguae et arabicae peritum, qui sibi aliquem ex eorum libris interpretaretur. Quum autem percepisset esse illic librum aestimatissimum, ubi consilia continebantur de regni administratione, per aenigmata vel parabolas ex indorum christianorum ore et sententia compositum titulo כלילה: ודמנה *Chelilà et dimhà*, idest *Leo* et *ovis*, eo quod de iis prima libri sectio agat, judaei opera qui utrumque idioma callebat, eum vertendum curavit. Videns porro rex librum esse doctrina eximium ac vehementer desiderans quidpiam de eorum scientiis cognoscere, judaeum ipsum misit ad regiones quae sunt sub linea aequatoris sub capite arietis ac librae, ubi omnes anni dies ac noctes sunt aequales, accersivitque indorum sapientem nomine Chanachà, qui turcas docuit

arithmeticae fundamenta, et ex cujus ore per eundem judaeum, qui appellabatur Jacob filius Scearà, versus est liber astronomicus *Tabularum*. At vero in libro hoc nulla data ratione nuda praxis exponebatur per modum traditionis, progressusque medius planetarum ex supputatione indorum, qui cyclum suum vocant azmàn et est annorum 432000. Jacobum hunc interpretem, subdit Aben Ezra, magni inter turcas nominis sapiens excepit et astronomiae peritissimus, qui progressum illum medium restituit ad computum יזדייר Jazdeir ultimi regis Persiae, qui totius regni eclypses simul compositas ad legem suam reduxerat. Hic autem sapiens est Machometes ben Mosis Alban Arzami, qui discipulorum ope universam tabularum praxim ad faciliorem aliam methodum composuit, quae congruebat cum illa Chanuchae sapientis indi, nulla tamen addita ratione. Post illum vero extitit sapiens in israel nomine Alpharguni, qui Albursamum exposuit, quemque secutus est doctor egregius, qui vertit optimum librum planetarum, seu Almagestum Ptolomaei regis Aegypti. Porro librum hunc de cujus laudibus multa hic Aben Ezra, quamplures ex ismaelitis sapientibus illustrarunt, sed omnium illustrior est cl. Machomet ben Matani, qui in gratiam unius ex suis affinibus hunc egregium librum concinnavit de planetarum constitutionibus ac ratione praxis Tabularum Alburzami, vel Alborezmi, in quo non tantum Almagesti fundamenta breviter exponit, sed et multa praeter Ptolomaeum addit. Ut autem planior esset, librum suum composuit per quaesita et responsa. Libri titulus et initium plenius exhibet auctoris nomen. » Machmed ben Almatani fil. Abd-Albaressi Alkarotz fil. Alì ismaelitae בטעמי לוחות אלכורזמי ופירושם *De rationibus vel principiis tabularum Alburzami cum earum expositione*. In ea autem praefatione, cujus summam exhibemus, notat Aben Ezra se librum edidisse במהלך אמצעי לז׳ המשרתים *De progressu medio septem planetarum*, cujus sub speciali hoc titulo nulla apud Wolfium mentio, sed pertinere videtur, ut nuper monuimus in *Dict. jud. auctorum* T. I p. 14, ad insigne aliud astronomicum ejus opus quod *Rescid chochmà* seu *Initium sapientiae* inscripsit. Docet tamen Wolfius T. I p. 85 Picum Mirandulanum p. 454 proferre librum Aben Ezrae *super opere tabularum*, et Strauchium

p. 11 *Aphorismorum astrologicorum* testari methodum astrologiae rationalis prae reliquis celebrem Aben Ezrae acceptam ferri tamquam inventori vel interpreti. Prior ille liber est procul dubio noster hic, qui cum methodum complectatur rationalis astronomiae ceteris planiorem, non immerito conjicimus ab eo non distingui alterum, quem Strauchius memorat, Aben Ezrae quidem non ut auctori, sed ut interpreti tribuendum. Praeter haec silet Wolfius de nostro hoc opere tum sub Aben Ezra, tum sub nomine Machmet, nullum affereus Machmet ben Almatani, nullum Machmet ben Mosis aliosque non paucos praetermittens in superiori praefatione memoratos. Nec ad solum porro Wolfium supplementa peti queunt, sed et ad Herbelotii *Bibliothecam orientalem*, et ad ea quae nuperrime Casirius in *Bibliotheca arabico-hispana*, Andres in *Orig. ac progress. omnis litteraturae*, et Assemannus in *Globo caelesti cufico-arabico* de arabum astronomia, origine ac cultoribus doctissime prodiderunt. Quae tradit Aben Ezra valde affinia sunt iis quae apud Casirium T. I p. 428 notat Alhosainus ben Muhamed ben Aladami in suis *Tabulis* majoribus, quas *Margaritarum seriem* inscripsit, » anno hegirae 156 (J. C. 811) Almansoris principatu advenisse astronomum quemdam indum sideralis scientiae peritissimum cum tabulis aequationum secundum medii gradus calculum digestis, tum aliis observationibus de duplici eclipsi signorumque ascensionibus instructum. Hasce tabulas indus ipse retulit se ex *Tabulis* a Phigaro indorum rege olim confectis excerpsisse. Quamobrem imperator Almansor hujusmodi librum et arabice converti, et arabibus in iis quae ad siderum motus pertinent, veluti normam proponi jussit ». Notanda tandem sunt quae habet Aben Ezra de celeberrimo libro *Chelilà et dimhà* ejusque tituli significatione, de quo multa hucusque a doctis sunt disputata, multaque postremis hisce temporibus in praef. ad arab. versionem libri *Colailah wadimnah* anno 1786 Lugduni batavorum excusam Henricus Albertus Schultens, in praef. vero ad elegantissimam Parmensem cel. Bodonii nostri Longi *Pastoralium* editionem Thomas Valperga de Calusio, doctissimi viri, tradiderunt. Tot libri versionibus addenda syriaca Budi Peridiotae, quam memorat Ebed Jesu in *Catal. lib. chald.* p. 103.

COD. 213

1.° R. BECHAI FIL. JOSEPHI vel senioris חובת הלבבות, *Chovàd allevavòth, Debitum cordium* hebr. versum a R. Jehuda ben Tibbon.

2.° R. ABR. ABEN EZRAE *Arugàd ammezimà, Arca cogitationis,* et *Pardès chochmà, Paradisus sapientiae*, membr. rabb. 4.° sec. XV.

Celebratissimus est inter judaeos magnaeque existimationis moralis ille liber R. Bechai, arabice primum ab auctore compositus, deinde vero hebraice a Jehudà Tibbonide translatus. Ejus sectiones et editiones enarrat Wolfius T. I p. 236 et III p. 143. In nostro hoc codice praecedit interpretis praefatio, quae in Neap. editione an. 1490, quam prae manibus habeo, desideratur. In ea testatur Tibbonides versionem hanc suam suscepisse, ut votis satisfaceret R. Mescullam filii Jacobi, cujus doctrinam et laudes fuse persequitur. Sed multis etiam conqueritur de rei difficultate ob linguae hebr. imperfectionem et arabicae copiam et elegantiam, testans se nullum vidisse librum ex hac in illam versum, qui multum non amitteret pristinae dignitatis. Varias hujus rei caussas assignat, fuseque agit de veris rectae interpretationis legibus ac ratione, qua gerere se debet optimus interpres. Ita autem aperte librum hunc auctori nostro Bechai vindicat, ut Sabtaeus aliique, qui de hoc dubitant, nunquam videantur Tibbonidis praeloquium legisse. Mirandum est in eorum numero doctum christianum extitisse, cujus verba refert Wolfius T. IV p. 794. Auctorem autem hoc opus suum an. 4921, Ch. 1161, composuisse notat Azulai *Scem aghedolìm* parte II fol. 29. Posterius Aben Ezrae opusculum ineditum est, extatque etiam in Vaticana et Oppenheimeriana. De eo Wolfius T. I p. 80 et III p. 50. Sed in eo errat vir doctissimus, quod Pardès chochmà ab Hormad ammezìmà, qui idem est cum Arugàd ammezìmà, distinguat, et ex uno libello binos efficiat. Unus idemque est duobus titulis insignitus, ut non modo ex nostro hoc codice amplissime constat, sed et ex aliis duobus, 1122, et 1227, in quibus idem plane opusculum extat sub utroque eo titulo. Wolfii errorem sequuntur alii bibliographi, inter quos Rodriguez de Castro in *Bibliotheca rabbinico-hispana*, collatoque postquam superiora scripseram, Vaticano *Catalogo*, lapsum hunc in quem primum incidit Bartoloccius, observo jam

pridem fuisse ab Assemanis p. 378 ex cod. Vatic. 403 animadversum. Quod ad libelli argumentum attinet, quamquam et brevis is sit, rythmicus et obscurissimus, patet tamen de anima eum agere, ut Hottingerus animadverterat in *Bibliotheca orientali*, notatque auctor *Seder adoròth* fol. 174 b. Iterum ergo fallitur Wolfius, qui de litterarum pronunciatione eum praecipue agere constituit, et ad grammatica nostri auctoris opera amandat. Codicem claudit index nominum hebr., quae sunt generis masc. et foem. indigitatis scripturarum locis, in quibus in utroque eo genere occurrunt.

Cod. 214

1.° R. Nissim Gerundensis *Quaesita et responsa*.

2.° R. Meir fil. Baruch *Quaesita et responsa*, chart. rabb. 4.° an. 1461.

Sub fin. dicuntur absoluta die xxv ellul an. 5221.

Cod. 215

Psalterium memb. rabb. 4.° min. an. 1461.

Tituli majores, psalmi in v libros divisi numerantur tantum 148. Ad calcem » Ego Joseph fil. R. Joab Eliae scripsi hoc Psalterium domino Danieli amico meo, absolutumque est opus sanctum hodie feria II die x mensis ijar anni 221 ».

Cod. 216

Aristotelis *Liber de germinibus* heb. versus a R. Kalonymo, chart. rabb. 4. min. sec. xv.

In titulo ס' הצמחים דברי ארסטו. Sub finem: » Explicit tractatus secundus libri de germinibus, quo liber absolvitur. Laus Deo. Verti autem eum ego Kalonymus fil. R. Kalonymi fil. R. Meir, finitaque est versio die VIII mensis nisan an. 74 », Ch. 1314. Eadem nota legitur ad calcem alterius nostri cod. 776. Hic idem interpres vertit anno 5073, Ch. 1313, Aristotelis Topica, et an. 5077, Ch. 1317 ejus librum de caelo et mundo, annum agens aetatis suae trigesimum, ut constat ex codice Taurinensi A v 9 a Wolfio relato T. IV p. 751. Anno 1316 vertit libros Acroasis, seu physicae auscultationis, ut monet epigr. cod. Vaticani apud eundem Wolf. T. I p. 1006. Quum itaque adeo cohaereat interpretis aetas, ut de ea dubitari nequeat, perperam a Wolfio confusus est cum auctore *Even bòchen*, qui ut ex ejus epigraphe colligitur, cum eum composuit anno 5000, Ch. 1240, annos habebat tres supra octoginta. Quod cum per temporis rationes conci-

liare Wolfius non posset, perperam iterum credidit T. III p. 972 annum illum Vaticani cod. 5076, Ch. 1316, de sola voluminis descriptione a librario facta, non de interpretatione ipsa esse accipiendum. Nisi ergo in epigr. *Even bòchen*, quae manifestissime legitur tum in editione Neap. 1489, tum Veneta, quas prae manibus habeo, erratum suspiceris, bini auctores sunt necessario distinguendi. Ceterum de libro hoc nostro de germinibus ejusque versione nihil habet Wolfius nec sub Aristotele, nec sub Averroe ejus abbreviatore, nec sub Kalonymo.

Cod. 217

R. Jedajae Appennini, dicti Anbonet Abram, *Comm. Agadoth*, chart. rabb. 4. sec. XIV vel in. XV.

In titulo sub posteriori nomine Anbonet Abram auctor appellatur, quo notum est eloquentissimum ac celeberrimum Jedajam Appennini designari. Atque ejus quidem scripta maxima cura tum ab hebraeis, tum a christianis bibliographis recensentur et illustrantur, sed inter ea nostrum hoc non comparet, in quo explanantur Agadòth, seu antiquae illae allegoricae historiae, quae sparsae reperiuntur in Medràs rabbòth et in Siphrì. In ineditis ergo et ignotis pretiosis nostri auctoris operibus ponendum. Alterum operis exemplar membranaceum, quod praeter Rabbòth et Siphrì aliorum medrascim expositiones nostri auctoris exhibet, habes infra sub n.° 222. Vaticanos codices consulenti, postquam haec scripseram, occurrit in 293 R. Abrahami filii Bonet incertae aetatis commentarius in Tanchumà et Rabbòth, quem pronum est conjicere eundem cum nostro esse, perperam intellecto et expresso auctoris nomine ben Bonet pro Anbonet, etsi, quod in codicibus aliquando fit, operis initium non congruat.

Cod. 218

Ecclesiastes, Canticum cant., Ruth, Esther, Psalmi cum *italica versione interlineari*, chart. ital. in 4.° sec. XV.

Praecedit pars cap. I Gen., Psal. I et II, et Oratio dominica hebr. versa. Italica versio psalmorum producitur tantum usque ad Ps. XXXVI. Unicus in *Schol.crit.* Ps. XLV 9.

Cod. 219

Pentateuchus cum *Masora parva* membr. ital. vel semigerm. in 4.° 2 col. ante an. 1389.

Litterae coronulis ornatae vel detortae ostendunt esse

tikkùn sopherìm, seu scribarum exemplar, quod codicis dignitatem ac pretium extollit. Majusculae initiales nullae, producuntur identidem ad marg. lectiones aliorum exemplarium, ac sub finem Pent. pag. versa haec legitur nota: » Testor ego Jechiel fil. R. Sabtaei, hodie die II mensis adar an. 5149 a creat. mundi me vendidisse hunc Pent. domino Matathiae fil. Salomonis Pisani venditione perfecta, nummosque ab eo accepisse ». Codicem claudunt nonnullae sectiones Isaiae.

Cod. 220

R. Levi Gersonidis *Commentarius in Jobum*, memb. rabb. 8.° sec. XV.

Sat nitidus, sed sub finem nonnulla deficiunt.

Cod. 221

R. Mosis Maimonidis *Liber mitzwòth* seu *praeceptorum* a R. Sal. fil. Josephi aben Jov hispano hebraice translatus, memb. ital. in 4.° 1285.

Hunc Maimonidis librum, quo utriusque classis praecepta, adfirmativa et negativa, exponuntur, profert Wolfius T. I p. 860, notans arabice primum ab auctore fuisse conscriptum, hacque lingua extare in Bodlejana n.° 5418 inter codices Pocockianos. At vero qui eum hebraice verterit, non subdit, et de duplici quae extat, hebraica hujus libri versione, edita altera eaque notissima R. Mosis filii Sam. Tibbonidis, inedita altera, quae nostra haec est, R. Sal. aben Jov, ne verbum quidem. Priorem tamen innuit is sub Tibbonide p. 901, sed ex sola auctoritate Bartoloccii, et ut ms. extantem in Vaticano cod. 170, ignorans eam editam esse, seu ejus esse editam, qua utimur. Quod et editiones ipsae monent amplissime, praemissa Tibbonidis praefatione, CPolitana sane quae ad manus est, Wolfio et ipsa ignota. Miranda haec in Wolfio, qui miratur Wagenseilium non aliam hujus libri notitiam, quam ex testimonio *Scalscèled* habuisse. Ignorans autem Wolfius eam Tibbonidis praefationem, ignoravit et tertiam quamdam hujus libri versionem R. Abr. Levi ben Chasdai, quae in ea laudatur.

Quod vero spectat ad nostrae hujus versionis auctorem Sal. aben Jov, vel Job, vix ex epigr. cod. Jablonskiani Aristotelis de caelo et mundo, male intellecta et interpretata, ut vidimus ad cod. 171, ejus meminit Wolfius, et quidem ut meri amanuensis ac librarii. Nihil ergo habet de versione ab eo facta ejus libri, quae in binis no-

stris codicibus occurrit, 171 et 208, nihil de nostra hac libri Maimonidis praeceptorum, quae occurrit iterum in cod. 1234, nihil de illius tractatu de haemorrhoidibus, quem continet codex 150. Rodriguez autem de Castro qui de hispanis rabbinis egit post Wolfium fusissime, utrumque praetermittit, auctorem et opus. Constat istud duabus partibus, in quarum prima agitur de praeceptis adfirmativis, in secunda de negativis, praemisso eorum omnium indice ac longiori praef., in qua ad verum numerum dignoscendum XIV fundamenta praefiguntur et illustrantur. Binarum partium tituli vario colore ornantur, explicitque nitidus codex sat fusa rithmica epigraphe, in qua conscriptus et absolutus dicitur ab Abr. filio Jom Tov in gratiam praeceptoris sui R. Sabtai filii Matathiae anno O. C. 5046 die XVI mensis marchesvàn.

Cod. 222

R. Jedajae Appeninì *Comm. agadoth, seu historiarum, quae reperiuntur in Medràs rabbòth in Pent., in Tanchumà, Siphrì, Pirkè R. Eliezer, Medràs nechamòth, Medràs teilìm, et Medràs Ruth,* membr. nitid. rabb. 4.° sec. XV.

Partem inediti ignotique operis, seu Comm. agadòth quae occurrunt in Medras rabbòth, et in Siphrì, in codice 217 contineri supra animadvertimus. Plenior noster hic exhibet praeterea ej. auctoris expositiones in agadoth reliquorum medrascìm, quos enumeravimus, omnes ineditas, rarissimas, nec ab ullo bibliographo memoratas. Opus in VII partes dividitur, quarum prima folio mutila complectitur Rabboth seu antiquas allegoricas expositiones magnas in Pent., secunda Tanchumà, tertia Siphrì, quarta Capitula R. Eliezer, quinta Medras nechamòth, sexta Medras teilìm seu psalmorum, septima Medras chazith vel Ruth.

Cod. 223

Pentateuchus cum *Masora min.,* memb. ital. 4.° 2 col. sub fin. sec. XIII vel in. XIV.

Nonnullae litterae vergunt ad formam germ. Codex parum diligenter scriptus, sed singularis et unicus Gen. III 19, 20, XXV 23, 26, XXVII 2, XLI 38, XLIX 10, Exod. XV 5, XXIX 38, Lev. XXV 17, var. Gen. III 15, XXV 8.

Cod. 224

Psalmi ac Proverbia, memb. hisp. 4.° 2 col. sub fin. sec. XIII vel in. XIV.

Nitidus ac luculentus codex, metrice divisus et accuratissimus.

Cod. 225

R. Levi Gersonidis *Commentarius in Pent.* memb. rabb. nitidiss. in fol. sec. xv.

Cod. 226

Prophetae priores ac posteriores, seu *Josue, Judices, Samuel, Reges, Jeremias, Ezechiel, Isaias, xII Minores,* membr. germ. fol. 2 col. ex. sec. xII vel in. xIII.

Incipit Jos. I 15. Codex maximi pretii, antiquitatis, et usus, in quo masora nulla, nullum kerì, initiales majores, Jeremias juxta talmudicum canonem primus posteriorum prophetarum occurrit. Unicus Jos. vIII 31, x 39, xIII 6, xv 14, et 28, xIx 15, Isai. III 10 et 12, v 23, xxI 16, LvI 10, Jerem. xxII 15, xxxI 24, xLI 9, L 44, Ezech. xvI 39, xxvI 23, Oseae xI 7, Joel I 13, Habac. I 17, fere unicus II Reg. x 26, xIII 3, Isai. xxvII 9, Oseae Iv 19, Amos vII 2, Nah. III 8, Zach. vIII 20, Malach. II 5, rarissimus I Sam. xIv 16, xxIv 14, Isai. I 29, II 30, xv 5, xxxvIII 14, Jerem. II 15, xxvII 14, xLI 16, Ezech. xvI 21 et 43, xx 15 et 36, xxIv 21, xLIII 3, xLv 1, Mich. vII 19. Ac illud singulare in binis ex hisce locis unicum esse qui cum antiquis editionibus conspiret, videl. Josue xv 28 cum Bibliis Complutensibus, et Is. v 23 cum Bibliis ac Prophetis Soncinensibus. Scriptus est a Chaiim quodam, ut evincunt puncta vocabulo huic imposita, nec sat diligenter, ut patet ex dictionibus saepe omissis et ad marg. suppletis.

Cod. 227

Machazor *ital. pars I* cum *Cantico Exodi* ac *Psal.* occ., memb. rabb. 4.° sec. xIv.

Adsunt et Pirkè avòth, sed ad bina priora eorum capita desinit codex. Inter preces occurrit Rescud Joabi de synagoga et Gheulà aben Ezrae, rarioremque lectionem sistit Ps. xvII 14.

Cod. 228

Comp. Machazor cum *Threnis, Pirkè avòth, Hymno* Jeh. Levitae, *Cant. Exodi* ac *Psal.* occ., memb. rabb. 8.° sec. xIv vel init. xv.

Sed char. quadrato germ. quoad Threnos.

Cod. 229

Ordo precum cum *Cant. Exodi* ac *Psal.* occ., memb. rabb. 16. sec. xv.

Cod. 230

Pentateuchus cum *Targum versibus alternis, V Meghillòth, Aphtaròth* et *Job,* membr. germ. fol. maj. 3 col. sec. xIII.

Bina priora folia ac quatuor postrema recentiori atramento suppleta. Extat et masora parva, nec habet initiales litteras majores, excepto libro Jobi. Unicus Gen. V 3 et Deut. X 7, Jobi XXIV 1, perrarus Gen. XLIX 6.

Cod. 231

Psalterium, membr. rabb. hisp. 12. oblungo sec. XIV.

In hemistichia divisus, et v libros, ac sub cujusque libri initium elegantibus ornatibus varii coloris insignitus.

Cod. 232

R. Salom. Jarchì *Comm. in Pent.* memb. rabb. 4. sec. XIV.

Elegans codex qui habet sectionum titulos vario colore, rubro potissimum, expressos.

Cod. 233

Pentateuchus cum *Aphtaròth*, et *Libro Esther* ad marg., membr. rabb. hisp. in 12. sec. XIV.

Unicus Exod. VIII 13 ac fere unicus Lev. XIX 33. Saepe etiam producuntur ad marg. variae lectiones codicis correcti. In nonnullis sectionibus proph. additur versibus alternis chald. paraphrasis, explicitque cyclo annorum.

Cod. 234

Psalterium, membr. rabb. in 16. an. 1391.

Praemittitur index, in quo numerantur tantum psalmi 148, cui subjiciuntur 72 versus, in quibus extat nomen Dei. Tituli psalmorum exiguo ornatu varii coloris distinguuntur, majori autem minioque, et auro elaborato initium v librorum. Ad calcem: » Finitum porro est opus sanctum, quod feci in Psalterio hoc ego Jekuthiel fil. R. Immanuel sub init. mensis ellul an. 5151 ab O. C. hic in urbe Perusiae, scripsique illud in gratiam excell. R. Nathanael fil. R. Abrahami ».

Cod. 235

Estheris Meghilla, seu *Volumen* membr. sub fin. sec. XVI vel in. XVII.

Character hisp. sed minus elegans, lineae cujuslibet col. 21.

Cod. 236

Siddur tephiloth, seu *Ordo precum* cum *Psalmis* occurr. membr. rabb. 32. in. sec. XV.

Septem diversi precum tituli auro varioque colore depicti eleganterque ornati.

Cod. 237

R. Sal. Jarchì *Commentarius in Pent.*, memb. rabb. 4.° sec. XV.

Pertinuit olim ad R. Mosem fil. Azariae de Rubeis.

Cod. 238

Pentateuchus et Paralipomena cum *Masora*, memb. hisp. 4.° 2 col. sec. xiv.

Incipit Gen. xli 34 et desinit II Par. xx 21. Rara lectio I Par. v 1.

Cod. 239

R. Dav. Kimchì *Commentarius in Prophetas minores*, memb. rabb. fol. sec. xv.

Nitidus codex qui explicit Zach. xI 15.

Cod. 240

Pentateuchus cum *Masora parva*, *V Meghillòth* et *Aphtaroth*, membr. germ. fol. 2 col. an. 1341.

Librorum tituli litteris constat praegrandibus et ornatis, Estheris liber primus inter volumina, haecque ad calcem extat amanuensis epigraphe: » Ego Juda fil. r. Eliezer scripsi hunc Pent. pro r. Baruch fil. r. Eliakim Levitae de Eidneysen, absolvique feria III die III chislev an. 102 min. supp. ». Deinde sequitur majori charactere scribae nomen Bivesc de Vanhadtungen scriba. Luculentissimus codex, unicus Deut, xII 31 et Eccle. II 20.

Cod. 241

Estheris Volumen membr. hispan. linearum 24 ac seculi xv.

Cod. 242

Estheris Volumen memb. germ. lin. 16 sec. xvI.

Cod. 243

Estheris Volumen memb. hisp. lin. 24 ac sec. xvI.

Cod. 244

Psalmi, Prov. Job et v Megh. seu *Ruth*, *Ecclesiastes*, *Threni*, *Esther*, *Canticum*, *Pirkè avòth* et *judaicae Preces*, membr. germ. 4. sec. xiv vel init. xv.

Incipit Psal. ix 6, deficiuntque in medio folia quaedam, seu finis Jobi et initium Ruth. Initiales majores, kerì nullum rarissimasque exhibet lectiones Job I 3, et Prov. x 32. Est et unicus in *Scholiis crit.* Jobi vI 18.

Cod. 245

Pentateuchus cum *Masora*, memb. ital. 4.° min. 2 col. init. sec. xiv.

Incipit Gen. xiiI 14 et desinit Num. iv 3.

Cod. 246

R. Isaaci de Korbeil, *Liber parvus praeceptorum* cum *additamentis* et *correctionibus*, membr. germ. fol. 2 col. sec. xiv, vel in. xv.

Eae codicis correctiones sunt r. Meir Rothenburgensis ac r. Peretz, ut monuimus ad cod. 87.

Cod. 247

Meghillà seu *Estheris Volumen* membr. mediocris formae, hisp. lin. 21 sec. xv.

Cod. 248

Pentateuchus cum *Targum versibus alternis, v Meghilloth* et *Aphtaroth*, membr. germ. fol. 2 col. sec. xiI.

Incipit Gen. viI 13, et desinit ad sectionem festi diei viiI paschatis. Majores litterae nullae nullumque masorae vel kerì vestigium, excepto Mosis cantico *Audite caeli*. Antiquus codex optimae notae, unicus Lev. iiI 8, Deut xiiI 12, fere unicus Gen. xviI 11, xxxviI 14, Isai. lx 9.

Cod. 249

Prophetae priores, seu *Josue, Judices, Libri Samuelis* ac *Regum, v Meghilloth*, seu *sacra Volumina Ruth, Cant., Thr., Eccle., Esther, Psalmi, Job, Proverbia*, membr. germ. fol. 2 col. sec. xiv vel xv.

Nitidus ac luculentus codex, qui habet initiales majusculas. Psalmi numerantur 149. Unicus Prov. xiiI 22, fere unicus Job xxiv 6, rar. Jud. ix 53.

Cod. 250

Pentateuchus et Esther sine punctis, membr. germ. 4.° 2 col. sec. xiiI.

Incipit Gen. iv 24. Est tikkùn sopherìm seu exemplar describendi utriusque voluminis, Pentateuchi et Esther, sed scriptum indiligentissime. Unicum Gen. xix 34, num. iv 17, rar. Gen. xlix 11, et xix 28.

Cod. 251

Pentateuchus, chart. rabb. 4.° min. sec. xiv.

Incipit Gen. xviI 8.

Cod. 252

Estheris Volumen memb. mediae formae hisp. lin. 24, sec. xv.

Cod. 253

Pent. ac Proph. Sectiones *quaedam* cum *Precibus* ac *Psalmis nonnullis*, memb. ital. 16. sec. xv.

Cod. 254

Machazor cum *Cantico Exodi, variis Psalmis* ac *Constitutionibus*, membr. rabb. in 4.° in. sec. xiv.

Inter preces occurrunt Jeh. Levitae bina carmina, Aphtaròth variae chaldaicae, Rescùd r. Mosis sophèr fil. r. Biniamini, aliud r. Biniamini, r. Joab de Bethel, r. Joabi fil. Biniamin, Gheulà Aben Ezrae, alia r. Maimòn, Piùt Joabi fil. Jechiel de Bethel, Seder tamid r. Nathanaelis de Kenòn, atque alter r. Meir.

COD. 255

R. JOSEPHI KARA *Comm. in Prophetas priores ac posteriores*, membr. rabb. fol. min. 2 col. sec. XIV vel in. XV.

Auctor hic, cujus nomen diserte legitur sub initium et ad calcem, est Wolfio ignotissimus, pudendoque anachronismo, ut nuper observavimus in *Diction. hist. judaicorum scriptorum* T. I p. 181, quod in tanto viro mireris, cum Josepho Kara IV seculis posteriore confusus. Karae nostri mentionem facit Jarchius ad cap. IV 1 Prov., faciunt et Tosephòth in tract. ערכין fol. 15 col. 2 ed. Solisbacensis, ac praeter codicem alium in Prophetas in epigraphis ei perperam tributum, de quo diximus ad num. 76, nos hujus ejusdem auctoris possidemus etiam Comm. in Ecclesiastem et Threnos. V. cod. 456. In Ambrosiana vidi olim in cod. G 23 ejus Comm. in Job et in B 55 ejus notas ad marg. Comm. R. Isaiae in Prophetas, ac prior ille Commentarius in Job non modo producitur in libro *Tanià*, sed et in novo Uri *Catalogo*, ut extans in Bodlej. codice 149. Noster hic in Prophetas servatur quoque in aliis bibliothecis, quique a Wolfio recensetur T. IV p. 858, ut extans Parisiis in Sorbonica, an. 5172, Chr. 1412, dubium non est quin auctoris nostri sit, mirandumque Wolfium commentarium vel codicem eo anno exaratum Josepho Karo tribuere potuisse, quem T. I p. 557 et III p. 420 aperte conscripserat floruisse sub dimidium sec. XVI et obiisse an. 1575. Eadem plane oscitantia factum est, ut posteriori huic auctori tribuat is T. III p. 422 Bodlejanum illum Comm. in Job, qui est nostri Karae, nec non Oppenheimer. cod. מערכת האלהות qui est antiquus et R. Peretz, et T. I pag. 859 mss. codices Taurinenses Arbà turìm, qui sunt R. Jacobi ben Ascer, et annorum 1368 et 1483. In primum illum errorem, in quem bis cecidit Wolfius, binis illis confusis auctoribus longo intervallo dissitis longeque diversis, ceciderunt et auctores *Catalogi* regii Parisiensis, qui Karae Commentarios in binos libros Samuelis et in Isaiam ac Jeremiam, quos continet cod. CXIX, olim Gilberti Gaulmini, R. Josephi Karo fil. Ephraimi esse perhibent, quem uno praeterea seculo faciunt recentiorem, subdentes floruisse sec. XVII medio. Atque hoc idem erratum longe antea commiserat Montfauconius, nostri auctoris Commentarium describens in prophetas minores, quem

continet cod. 8 Mediceus III plutei. V. Biscionii *Bibliothecam* p. 366. Vidimus supra ad cod. 76 extare codices qui Jarchianum Prophetarum commentarium Karae nostro adscribant, et scriptores qui id contendant. Patet jam ex nostro codice utrumque comm. esse diversum et utrumque superesse. At vero ut sunt multa communia, non temere conjicere possumus quae conceptis verbis in utroque libro usurpantur, ea Rascium a Kara fuisse mutuatum. Est enim Kara antiquior, ut ex Rascii ipsius constat testimonio, nec est cur de hoc dubitet Azulai P. I *Scem aghedolim* fol. 76 b, aut roboris quidpiam inesse putet in eo quod primum respondet, potuisse Karam sua ex Rascio decerpere, aut Rascianum codicem et commentarium apud Karam existere, quem descriptor putaverit ad eum pertinere. Porro Karae codices, non modo noster hic sed et alii omnes, rarissimi sunt, atque hinc desumendum silentium quod de auctore hoc ejusque operibus servant doctiores ipsi judaeorum ac christianorum bibliographi.

Cod. 256

Psalterium cum *Comm.* R. David Kimchì, membr. rabb. hisp. in fol. an. 1284.

Rabbinico charactere etiam quoad textum, sed majori et cum punctis. Indubiae antiquitatis et aerae codex, vere pretiosus, qui incipit Psal. VII 6. Integrum exhibet Kimchii textum, sed libri censor insignia ac fusiora loca recidit, in quibus contra christianam religionem disputat. Habet et discrepantias eximias. Ad calcem: » Ego Salomon fil. R. Immanuelis scripsi hunc librum ... absolvique mense sivan an. 5044 a creatione mundi juxta supp., qua nos hic utimur in arce Taraconensi ». Hic scriba forte est filius Immanuelis fil. Sal. qui floruit an. 1241. Sacer textus rariorem lect. exhibet in *Schol. crit.* Ps. x 5.

Cod. 257

Pentateuchus cum *Targum*, et *Comm.* R. Sal. Jarchì, membr. in fol. sec. XIII exeuntis.

Textus charactere hisp. majori ac luculento, Targum laterali columna minoribus litteris italicis ac germ. commentarius imo ac superiori margine rabbinicis. Incipit Gen. I 11, et desinit Deut. XXXIII. Majusculae nullae, nulla masora, nullum kerì.

Cod. 258

Estheris Meghillà seu *Volumen* membr. hisp. lin. 14 aetatis recentioris.

Cod. 259

Estheris Volumen membr. ital. lin. 23 sec. xv.

Cod. 260

Machazòr *ital.* cum *v Meghillòth* seu *Cantico cant.*, *Ruth, Thren. Eccle. et Esther, Sectionibus Pent. et Proph.* et *Psal.* occurr. Accedunt *Pirkè avòth*, seu *Capitula patrum cum Com.* Maimonidis, ejusdem Maimonidis *Expositio capitis chèlek tractatus Sahedrin de xiii fidei articulis, et Epistola de resurrectione mortuorum*, memb. rabb. fol. min. sec. xv.

Maimonidis Comm. Pirkè avòth et epistola de resurrectione sunt ex versione R. Samuelis aben Tibbòn, ac prior ille praefixam habet fusam auctoris praefationem, seu capitula de facultatibus animae. Occurrit et R. Jehudae Carmen ante purìm, Rescud et Vidui R. Biniamini, Azaròth Gavirol et Eliae, illius Cheder malcùd, Rescud azaroth Davidis fil. Eliezer, Vidui Saadiae, xiv Saharìm Biniamini fil. Abr. Rophè, Constitutiones variae rituales, Pidron chalomòth et Ordo calendarii. Fere unicus in *Scholiis crit.* Thr. iv 2.

Cod. 261

1.° R. Tanchuma' bar Abba' liber *Tanchumà* vel *Jelammedènu*, seu *antiquus et alleg. Comm. in Pent.*

2.° Anon. *Medràs Aphtaroth*, seu *antiquus alleg. Com. in lectiones propheticas.*

3.° Anon. *Medràs Echàrabbadì*, seu *antiquus Comm. allegoricus in Thren.*, memb. charactere quadrato germ. in fol. 3 col. sec. xiv.

Eleganter scriptus. Tanchumà, commentarius vetustissimus ac maximae apud judaeos auctoritatis, de quo Wolfius T. I p. 1159, plenior hic quam in edito sistitur, diciturque ad calcem absolutus in gratiam cujusdam R. Isaaci. Eum excipit Medras aphtaròth, adeo rarus, ut non in Wolfio modo, sed et in ceteris judaeorum libris bibliographicis, quos ad manus habeo, quique medrascìm omnes hucusque cognitos enumerant, nulla ejus fiat mentio. Ignotus ergo et ineditus habendus est. Quaesivi etiam num in Oppenheimeriana bibliotheca extet, judaicarum omnium instructissima, sed non comparet. Sub finem: » Explicit Medras aphtaròth, laus ei qui educit vinctos in rectitudinibus, nosque eripit ab angustiis et afflictionibus. Sanctificetur nomen ejus in laudibus et canticis, in secula seculorum, et generationes generationum ». Codicem claudit Medràs Echà rabbadì, seu expositio magna Thre-

norum, saepe edita una cum Rabbòth, seu expositionibus magnis Pent., sacrorumque Voluminum. De iis Wolfius T. II p. 1423.

Cod. 262

Pentateuchus cum v *Meghillòth et Aphtaroth totius anni*, membr. germ. in fol. 2 col. sec. xII.

Membrana antiqua et rudis, ut corium potius dici debeat, litterae antiquatae et obsoletae, Aphtaris exceptis, in quibus integram nigredinem servant, initiales litterae majores, puncta litteris coaeva, masora nulla, nullum aut vix ullum kerì, matres lectionis frequentes, crebrae dissensiones ac lectiones cum Samaritano textu et antiquis versionibus conspirantes, crebra in clausis apertisque sectionibus discrepantia, spatium ante majores ipsas sectiones aliquando, ut ante primam, nec unius lineae relictum, aliquando, ut in sect. ויצא, nec unius verbi ac plane nullum, in ceteris integrae lineae, nullus omnino sub finem librorum versuum numerus. Hae sunt notae nostri codicis, quae cum et antiquum ostendunt, et amasorethicum, eximiique in re critica emolumenti et usus. In pluribus etiam locis et variis lectionibus unicus is est ac singularis, ut Lev. IV 14, V 8, xI 40, XIX 27, Num. XXIX 3, Deut. I 40, III 14, XXXIV 2, Jos. I 8, I Reg. VIII 9, Jerem. XXXIV 21, fere unicus Num. XXVIII 22, Jer. II 17, Habac. III 13, rar. Exod. VII 28, XXXI 15, Deut. XXI 15. Sed crebrae verborum, vel etiam integrorum versuum ob similem desinentiam omissiones ad marg. suppletae conspiciuntur, quae scribae oscitantiam produnt ac codicis auctoritatem imminuunt. Singularis plane est notatuque dignissima metrica epigraphe duabus strophis ac duodecim versibus constans, quae legitur folio codicis penultimo.

I

Dicit qui auscultat eloquia Altissimi,
Qui scribit in libro elegantiae legem,
Praeceptum Dei mei purum et mundum,
Coetui congregationis filiorum Sion,
Facultate principis qui nobis imperat,
Caesaris augusti Vespasiani.

II

In urbe Romae orbis miraculo,
Anno XX *captivit. nostrae,*
Quum in eo deportavit omnem gloriam nostram,
Vir et mulier senex et puer,
Emittite jugiter lacrymas sicut torrentem,

Super rugitu leonis et leaenae.
Sed character inscriptionis est recentior, XIV, ut videtur seculi, vel XV, apparentque vestigia abrasionis antiquioris scripturae. Ea ergo vel conficta est, vel ex antiquiore aliquo codice retenta et ad rythmum accommodata.

Cod. 263

Psalmi, Prov., Job, et V Megh. seu *Threni, Canticum, Ruth, Eccle., Esther*, memb. ital. in 12. sec. XIV, vel in. XV.

Praecedit index psalmorum, in quo ii numerantur tantum 149, pluriumque psalmorum tituli aureis litteris majorib. distinguuntur.

Cod. 264

Pentateuchus cum *Targum alternis versibus, V Meghillòth, Aphtaròth et utraque Masora*, membr. germ. in fol. max. 3 col. sec. XIII.

Sub initium ac finem suppletus charactere recentiori. Initiales majores, masora magna ingeniose interdum disposita. Unicus Exod. III 12, II Sam. XXII 26, Obad. 7, Cant. II 4, rar. Zach. XIV 5.

Cod. 265

Pentateuchus cum *Targum alternis versibus, V Meghilloth, Aphtaròth, Masora,* membr. germ. in fol. max. 3 col. sec. XIII.

Incipit Gen. XIII 12, et desinit aphtarà לשמחת תורה:, hocque postremo folio majusculis litteris ex masorae ductibus ac litterulis compositis, ut in codice romano Maronitarum aliisque paucis, incipit subscriptio זה חומש ר׳ quae per sequentia folia extendebatur. Initiales majores, adest masora utraque, ac magna quidem ingeniose saepe exarata, ornatus, figuras, flores, animalia, litteras repraesentans, consuetae sectiones Josue V, II Reg. XXIII, Ezechielis, Samuelis, Isaiae, Habacuci habent etiam chald. paraphrasim minori charactere modo alternatim, modo ad marg. additam. Optimis variis lectionibus abundat, interdum rarioribus et unicis. Unicus est Gen. XLI 57, Exod. XIII 9, XXVI 20, Lev. XI 45, Deut. XXVI 19, XXXI 15, Eccle. VIII 7, fere unic. Esth. V 6. Chald. vero Paraphrasis insigne exhibet additamentum ineditum ad Habac. III 1.

Cod. 266

Genesis et Exodus cum *Targum alternis versibus, Masora, Aphtaròth, V Meghillòth*, et *Comm.* Jarchì, membr. germ. 4.° sec. XIII.

Sed char. rabbinico quoad comm. Aphtarae Pent. cuilibet parascae, seu sectioni legis subjiciuntur, reliquae

festorum ad calcem codicis, inter quas et nonnullae habent chald. paraphrasim. Unicus Gen. vI 2, et vIII 15.

COD. 267

APHTARÒTH seu *Lectiones propheticae totius anni*, membran. germ. 4.° sec. XIV.

Sectionum exordia major. litteris distinguuntur, fereque unicus est in edita collatione Isai. XLII 19.

COD. 268

1.° R. JEDAJA PENNINÌ *Bechinad olàm*, *Examen mundi*.

2.° Ej. *Epistola apologetica ad Arisbà*, seu R. Salom. ben Adered.

3.° R. SAL. BEN ADERED *Epistola ad sinagogas Provinciales*.

4.° R. JEDAJA PENNINÌ *Bakascà*, seu *Precatio*, *cujus voces omnes incipiunt a mem*.

5.° R. BON SENIOR JACHÌA *Oratio metrica de ludo scacchico*, membr. rabbin. in 12. seculi XV.

De singulis his elegantissimis Penninì vel Badrescitae lucubrationibus supra diximus ad cod. 98. Paullo diversus est titulus epistolae apologeticae: » Epistolam hanc misit sapiens don Bonet Abram ad doctorem eximium R. Sal. fil. Abr. ben Adèred f. m., quum hic succensuisset super studio scientiarum philosophicarum, cui vacabant in terris provincialibus ». Deprecationi subjiciuntur tum patris, tum filii versus codice 98 contenti cum praefatiuncula illa et varietate personae loquentis, quam ad eundem codicem adnotavimus. Jachiae orationem, seu מליצה de ludo scacchico cum latina versione Londini edidit cl. Hyde.

COD. 269

1.° JOB cum *Comm.* R. Levi ben Gerson.

2.° PIRKÈ AVOTH cum *Commentario* Maimonidis, ac fusa ejus *praefatione*, membr. rabb. in 4.° an. 1444.

Textus cum punctis. Sub finem Comm. Gersonidis haec legitur amanuensis nota: » Porro ego minimus exquirens Deum fil. R. Josephi Ohèv, cujus anima colligata sit in fasciculo viventium, descripsi hunc Commentarium absolvique illum in gratiam R. Sal. fil. R. Isaaci de Leon feria v hebdomadae die XXVIII mensis AV an. 5204 ab O. C. hic in urbe Placentiae, quae est in confinibus Galliae cisalpinae » *Scholia critica* rariorem exhibent sacri textus lectionem Jobi XVI 21. Ex Placentia, ubi tum morabantur, pulsi sunt judaei anno 1504, cautumque ne deinceps reciperentur, ut colligitur ex decreto diei XVI fe-

bruarii ejus anni, quod extat in archivio publico in libro provisionum, summaque comitate ad me transmisit doctissimus Poggiali.

COD. 270

PSALTERIUM cum *utraque Masora*, membr. hispan. in 12. oblungo an. 1476.

Luculentus codex, qui habet ad calcem hanc subscriptionem: » Absolutus est liber Psalmorum eo opitulante qui cherubinos inhabitat, feria V die II mensis adar an. M. 5236 per manum Samuelis filii Mosae, quem Deus custodiat ». Quamquam hispanicus sit, non desunt variae lectiones. V. Psal. CVIII 14 et CXVIII 27.

COD. 271

R. MENACHEM REKANATI *Comm. in Pent.* memb. et bomb. rabb. 4. sec. XV.

Cum sacro textu priorum capitum Genes. sine punctis.

COD. 272

1.° ECCLES. cum *Comm.* R. Samuelis aben Tibbòn.

2.° ANONYMI *Dissertatio de amuletis*.

3.° MAIMONIDIS *Epistola moralis* ad fil. R. Abraham.

4.° *Expositio ejus quod scripsit Maimonides de rationibus praeceptorum*.

5.° *Excerptum ex lib. IV Esdrae cap. XIII* ex *Bibliis christianorum*, seu latinis hebraice versum, membr. et chart. in 4.° an. 1487.

Charactere quadrato germ., quoad sacrum textum, rabbinico quoad comm. ac reliqua. Fusus et ineditus Tibbonidis Comm. in Ecclesiastem extat etiam in Laurentiana. Integrum locum de poesi hebraeorum a Muscato allegari in *Comm. ad lib. Cosrì*, latine autem a Buxtorfio exhiberi in mantissa ad hunc librum, jam monuit Wolfius T. III p. 1099. Binae praecedunt prolixae auctoris praefationes, in quarum prima post expositionem versus Prov. XI 30, agit de Salomonis libris, ut et de libris et laudibus Maimonidis, a quo quum plura Proverbiorum, Ecclesiastis, ac Cantici canticorum loca in Morè nevochìm optime videret explanari, ac cuperet vehementissime id de integris iis libris a tanto viro fieri, litteras ad eum dedit studii plenissimas, in quibus sibi mitti eorum librorum interpretationes, si ullas ediderat, anxie postulabat, vel suscipi benevole, si deerant. At vero antequam ad eum litterae pervenirent, is diem suum postremum jam obierat. Pluribus dein persequitur rationem suae interpretationis ac libri. II praefatio tota philosophica est, et in varias sectiones,

seu dissertationes dividitur. Ad calcem commentarii legitur: » Absolvi illum ego Menachem fil. R. Eliae de Rubeis die III mensis ijar, XXVI aprilis, XVIII numerationis omer, a. 247 sexti millenarii hic Ravennae ». Ante dissertationem de amuletis haec tituli loco praefiguntur: » Narrationem hanc reperi in fine libri *Mahassè nissim*, quumque esset valde egregia ac concisa, eam hic descripsi ad calcem codicis hujus pretiosi, potissimum quum non sinerent integrum librum transcribere ». Moralis Maimonidis epistola ad Abrahamum filium prima est inter eas, quae Venetiis editae sunt an. 1545, eamque arabice primum auctorem morti proximum scripsisse docet titulus cod. 533.

Cod. 273

1.° Pirkè Avòth, seu *Capitula patrum* cum *Comm.* Maimonidis.

2.° *Ruth*, *Canticum canticorum*, *Ecclesiastes* cum *Comm.* Gersonidis.

3.° *Threni* cum *Commentario* Jarchì.

4.° *Esther*, *Daniel*, *Esdras* cum *Comm.* Gerson. membr. rabb. in 4. 2 col. sec. XV.

Librorum tituli aureis litteris exarati, sacer textus sine punctis, exceptis quibusdam capitibus et Daniele, textus Esther rubro colore a commentario distinguitur. Sub finem Cantici canticorum eodem rubro colore notatur absolutum fuisse commentarium sub fin. mensis tamuz an. 85 sexti millenarii, Ch. 1325. Alia nota ad calcem Danielis fert absolutum ejus comm. mense adar II anni 98 sexti millenarii, Ch. 1338. Utraque aera de auctore ipso intelligenda ac compositione libri.

Cod. 274

Pentateuchus, memb. in 8.° vel 12. maj. sec. XI vel XII.

Codex vetustate detritissimus qui desinit Deut. XXXII 51, et ex variae aetatis plagulis contextus, quarum antiquiores meo quidem judicio sunt XI vel XII seculi. Est tikkùn sopherìm, unde et litterae coronulis ornantur. Aleph inflexionem habet rabbinicam, aliae litterae modo ad quadratam, modo ad semirabbinicam formam vergunt, pe contortum, puncta modo adsunt, modo desunt, initiales majores nullae, puncta ad implenda spatia inserta, aliquando circelli, antiquiores plagulae masora et coaevis punctis instructae, ac targumica explanatione difficiliorum verborum. Aliquando notatur Targum hierosolymitanum, aliquando angelorum nomina. Extat ad

calcem masora finalis, ubi et discrepantiae afferuntur inter nehardaeos ac sorianos de sectionibus apertis ac clausis. Sub finem Num. exponuntur mysteria litterarum, sub finem Genesis bis legitur antiquus possessor Biniamin fil. Menachem, atque una quidem vice litteris adeo obsoletis, ut vix earum vestigia appareant. Unicus Gen. xxxI 35, Num. xxix 11, 27, rar. Gen. xlix 10.

COD. 275

AGIOGRAPHA, seu *Psalmi, Proverbia, Job, Canticum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, Esther, Esdras, Nehemias, Daniel, Paralipom.*, memb. hisp. 12. maj. sec. xiv.

Nitidus codex, in quo servatur germanicus librorum ordo, qualem in titulo sistimus, et Daniel post Nehemiam collocatur. Quod in hisp. codicibus infrequens est, rariores exhibet varias lectiones. V. Dan. v 16, Esdr. iI 18, iiI 9, Neh. viI 73, I Paral. ix 12, iI Paral. iI 6, xxvI 11 ubi non modo rara, sed et optima extat.

COD. 276

PSALTERIUM, memb. rabb. in 4.° sec. xiv.

Partim cum punctis, partim sine iis. Tituli psalmorum maj. litteris constant, dividitur in v libros, numeratque psalmos 149. Subjiciuntur ad calcem quaedam preces. Raram codicis lectionem habes ad Ps. xxxI 20.

COD. 277

PSALMI, PROV., JOB memb. ital. in 16. sec. xiv.

COD. 278

R. DAVID DE ROKA MARTICA *Liber* זכות אדם *zecùd Adàm*, seu *de innocentia Adami*, memb. et chart. rabbin. in 4.° min. sec. xv.

Ex nota R. Jacobi Romani, judaei CPolitani, sibi a Legero communicata librum hunc ineditum ex titulo noverat Buxtorfius filius, eique in iterata patris *Bibliothecae rabbinicae* editione locum dedit pag. 71 edit. Herbornensis 1708, subdens excusare, immo negare auctorem hujus libri impium ac propterea merito ignotum, peccatum Adae. Eum etiam memorant Hottingerus in *Bibliotheca orientali* p. 17, Bartoloccius, Sabtaeus, ex iisque Wolfius T. iI p. 1297. Recenset et ut anonymum et ineditum auctor *Sèder adoròth*, non expresso argumento. Ac Bartoloccius quidem testatur in Vaticana servari, quamquam male libri titulum de hominis merito explicet vel vertat, qui, ut ex ejus instituto constat, vertendus erat de innocentia, justitia, purita-

te Adami. Ex tot autem bibliographis sive christianis, sive judaeis, nemo novit, quis eum composuerit, lausque ejus detegendi nostro huic codici erat reservata, qui illius nomen non modo comprehendit sub sigla primi vocabuli אר״ם, sed et clarius ad marginem exponit, notans denotari אמר דוד מרוקא מרטיכה *Dicit David de Rocca martica*. In praef. propositis sacrae scripturae textibus, et historia lapsus primi hominis, subjectisque poenis Adamo, Evae, serpenti tributis, subdit auctor inquirendum sibi esse, num litteraliter haec sint accipienda, an allegorice, ut ipse existimat totoque libello nititur demonstrare, subtili ac philosophico. Illud porro maxime notandum quod ait duplici potissimum de caussa opus suscipere, altera quidem, ut rei veritas pateat, altera ut respondeatur » insignibus populis, eorumque sapientibus, ac magnatibus, qui aedificant propugnaculum adventus Messiae eorum super peccato hominis primi, quod emergit ex sensu litterali illorum textuum, quorumque philosophia religionis tota super hac re superstruitur ». Christianis videlicet, quorum religionis fundamentum primarium positum est in Adae culpa originali. Librum autem absolvens hanc delectae inscriptionis rationem dat: » Quum institutum nostrum nostrique hujus libelli sit primum hominem judicare ad lancem innocentiae, vel justitiae, ab eoque amovere peccatum quod peccavit, aequum esse cogitavimus eum appellare nomine Zecùd adàm ».

COD. 279

R. IMMANUEL FILII JACOBI *Liber sex alarum astronomicus*, memb. rabb. in fol. vel 4.° maj. an. 1487.

Hebraice שש כנפים. Ad calcem: » Expliciunt sex alae aquilarum, laus Deo qui humiliat et exaltat, opera minimi Biniamini Oscajae fil. R. Immanuel de Sulmona ex familia Tziphronaea, absolvique illas hodie feria V die IX mensis quo data est lex nostra, an. 247 VI millenarii hic ציויטה דטיטי Civita de Teti ». Plura de inedito hoc opere Wolfius T. III p. 876 et IV p. 940.

COD. 280

R. MOSIS MAIMONIDIS מורה נבוכים *Morè nevochìm*, seu *Doctor perplexorum ex versione* R. Samuelis aben Tibbòn et cum ejus *praefatione*, membr. rabb. in fol. min. 2 col. sec. XIV.

Nihil dicam de hujus libri celebritate, praestantia, uti-

litate, summisque laudibus, quibus tum a judaeis, tum a christianis cohonestatur. Conferendus potissimum Buxtorfius in praef. ad latinam ejus versionem, et Wolfius T. I p. 855, T. III p. 779 ac IV p. 917, ac *Bibliotheca* nostra *jud. auctorum* T. II p. 27, ubi de hoc insigni opere, ejusque mss., editionibus, versionibus cumulatissime disseritur. Vix arabice illud prodierat, ut ab auctore primitus conscriptum est, quod eo adhuc vivente ac probante hebraice transtulit R. Samuel Tibbonides, eodemque fere tempore R. Jehudà Charizì, sed dissimili successu. Neglecta namque Chariziana minusque probata, Tibbonidis versio summo ubique plausu acceptata est, et lecta. Hinc quotquot fere codices hebraici Morè nevochim aetatem ferunt, mei sane omnes ac fere omnes reliquarum bibliothecarum, ex Tibbonidis versione sunt, ex Chariziana solo retento argumentorum et capitum compendio, vel locorum biblicorum indice. Tibbonidis porro versionem factam esse anno 4965, Christi 1205, multi codices produnt, ex meis quatuor, 557, 660, 1035, 1067, et, ut infra ad horum primum animadvertimus, exteri nonnulli, inter quos Hinckelmannianus male a *Catalogo* mss. n.° 163, eumque secuto Wolfio T. I p. 859 ad illum annum relatus. In nostro hoc multa in textu et ad marg. extant mutata, correcta, suppleta, ex aliis proculdubio exemplaribus, quae variam eorum lectionem ostendunt nostrique codicis praestantiam et usum.

COD. 281

R. HELI FIL. JOSEPHI CHABILII *Quaestiones philosophicae*, chart. rabb. in 4.° sec. XV.

Eae in XII tractatus dividuntur, praeceditque praefatio, in qua auctor, sive potius interpres, ut se ipsum appellat, testatur se eas desumpsisse ex christianorum sapientibus, potissimum vero ex Thoma Aquinate, Scoto et Okamo. Pandens porro nomen suum subdit se esse ex regno Castellano et habitare in מונשון *Monzon* seu Montione, qui est in confinibus regni Aragoniae. Ignotus Wolfio aliisque bibliographis auctor et opus. Haec eadem Quaesita, sed minus plena, aliaque Chabilii scripta vide infra in cod. 457.

COD. 282

ESTHERIS VOLUMEN memb. germ. lin. 13 sec. XVI.

COD. 283

GORDONII BERNARDI *Lilium medicinae* hebraice ver-

sum a R. Jekutiel fil. Salom. chart. rabb. in fol. an. 1425.

Extat etiam in bibliotheca regia, modo nationali, Parisiensi, ut notat Wolfius T. III p. 166, et *Catal.* ejusd. Bibl. T. I sub cod. 390, et in Bodlejana, ut notat novus Uri *Catal.* p. 88, sed non memorato interprete, qui in hoc nostro codice disertissime innuitur. » Absolutus est liber hic (ab auctore) an. 1304, die v mensis februarii. Verti ego Jekutiel filius R. Salomonis e lingua latina in nostram sanctam hìc Narbonae mense iiar anno 147 sexti millenarii die mensis XIV », videlicet anno Christi 1387. Infra vero alia occurrit epigraphe quae scribam et codicis descriptionem respicit: » Finitum porro est exemplar hujus libri haustum ex opere sapientis medici magistri Bernardi de Gordonio per manum Mosis filii Eliae fel. m. die vI hebd. initio mensis sivan an. 5185 a creatione mundi ». Wolfius recenset varias editiones latinas hujus libri, sed omittit primariam Ferrariensem an. 1486, quam possidemus. Collatis exemplaribus observo nonnullas inter illam et hebr. versionem discrepantias intercedere.

Cod. 284

R. Jacobi Ascer *Chòscen mispàth* seu *IV Ordo Arbàh turìm*, chart. rabbin. in fol. an. 1414.

Seorsim descriptus, sed sub init. mutilus. Ad calc. » Absolutus est liber Chòscen mispàth auxiliante Deo feria I die IX mensis ijar an. 5174 ab O. C., descripsique illum ego Joseph filius Saadiae Gamad ». Integros IV ordines exhibet, ut vidimus, cod. 64, aliosque nonnullos alii codices infra recensendi, qui tanti momenti et usus a judaeis habiti sunt, ut iis imprimendis prima ipsa dicarint eorum typographiae exordia. Ipsissimo namque anno 1475, quo hebr. typi primo apparuerunt, prodiit integra Plebisaciensis editio, anno vero sequenti Mantuana Conati binos priores ordines complexa, quorum alterum seu Orach chaiìm, Conatus ipse edidit, alterum, Jorè dehà, ab eo inceptum et ad dimidium usque volumen deductum, Abraham ben Chajìm Ferrariae continuavit et supplevit, adjecta epigraphe, in qua dicitur absolutus hic ordo feria vI die XV mensis av, sed non expresso anno, quem ego primum conjectatus sum, *De typographia* agens *hebraeo-ferrariensi*, in eundem 1476 incidere, quo prior prodierat, deinde vero in *Annalibus heb. typ. sec. XV* p. 21, ubi fuse de eo egi, litteris nonnullis designari pun-

ctis instructis, quae versu 7 illius epigraphis occurrebant, ac numerum dabant 239, seu 1479. At vero hic annus assignari neutiquam potest, quia in eo dies xv av in feriam vI non cadit, contra optime cadit in an. 1477. Itaque annus hic, qui aliunde est et prioris ordinis editioni proximior ac verisimilior, tamquam verus annus habendus est Ferrariensis illius editionis et in meis *Annalibus* restituendus. Quod spectat autem ad illarum litterarum vel punctorum mysterium, ut in eo versu deest nomen accusativum quod regat verbum antecedens יחמך, eaeque litterae si simul assumantur, dant כרי, ego quidem opinor hoc ipsum nomen editorem voluisse exprimere, quod sensum dat non incongruum.

Is sustentet manu sua dextera cadum meum,

Ut exarem reliquos libros sanctos.

COD. 285

1.° AVERROIS *Comm. in* Aristotelis *lib. de syllogismo*.

2.° ARISTOTELIS *Liber de demonstratione*, seu *analiticorum II* cum fuso *Comm.* Averrois chart. rabb. fol. an. 1474.

Brevior est primus ille Commentarius, nonnulla tantum libri capita explanans, diversusque a reliquis codicibus, qui integram ejus libri expositionem continent. Diversus est etiam ac fusissimus secundus Averrois Comm. in lib. de demonstratione, seu analiticorum alterum, qui hic exhibetur, dictus sub initium et ad calcem *Liber mòfed arùch*, seu *fusior de demonstratione*. » Absoluta est autem ejus descriptio feria II die xvII chislev an. 235 in urbe Ariani. Ego Baruch minimus scribarum . . . scripsi hunc librum prolixum demonstrationis in gratiam intelligentis Jechielis fil. cl. medici R. Mosis fel. m. »

COD. 286

1.° ARISTOTELIS *Lib. maamaròth*, seu *categoriarum*, vel hebr. ejus *Compendium*.

2.° ARISTOTELIS vel ALGAZALÌ *Liber de caussis* cum *Comm.* a R. Jehuda fil. Mosis fil. Danielis hebr. translatus.

3.° ABUNASARIS ALPHARABII *Liber de principiis naturalibus*.

4.° ABU ACHMET ALGAZALÌ *Liber de opinionibus philosophorum* heb. versus a R. Jehuda fil. Salom. Nathan.

5.° R. ABR. ABULAPHIAE Liber *Sidrè torà*, *Arcana legis*, aliter dictus *Morè morè*, seu *Comm. in Morè nevochìm*.

6.° R. JEHUDAE FIL. MOSIS fil. Daniel. *Liber ben poràth*, *Comm. in* Maimonidis *Jesodè torà*, *de Fundamentis legis*.

7.° Anon. *Expositio vocabulorum* occurrentium in Maimonidis libris *Jesode torà , Ilcoth dehoth ,* seu *Canonum ethicorum ,* et *Talmud torà ,* seu *Institutionis legis.*

8.° *Elenchus dictionum philosophicarum* cum expositione italica.

9.° R. Eliez. de Wormatia *Quaesita,* membr. rabb. in 4.° an. 1426.

De Aristotelis lib. de caussis notat Wolfius T. I p. 222 inter opera Averrois Ven. 1551 in fol. T. VII p. 114 tamquam ex hebraeo conversum, et Avempaci vel Alpharabio vel Proclo adscriptum dici. Digna est quae referatur in hanc rem marginalis nota nostri codicis sub initium hujus libri. » Lingua graeca extat liber unus, qui dicitur liber Procli, et complectitur CXI definitiones Platonis, in arabica vero reperitur liber iste qui dicitur ספר סבות *Liber caussarum* apud populares, et translatus est ex arabico in latinum, graece enim non extat. Quamobrem videtur auctor esse unus ex philosophis arabibus, qui eum eduxerit ex libro Procli, quia omnia quae reperiuntur in hoc libro, perfectius et latius reperiuntur in libro Procli, vel Proculi ». Haec eadem prooemii loco leguntur sub initium expositionis hujus libri in cod. 776.

Scholium hoc est procul dubio interpretis R. Jehudae, quo nomine intelligendum esse Jehudam filium Mosis fil. Danielis Romanum amplissime constat ex cod. 315 et 1174, qui eundem librum exhibent, idemque nomen plenius lectum. Quis porro sit commentarii qui hic ad marginem sistitur, auctor, incertum est. Quod si versionis vocabulum in titulo codicis 776 ad expositionem ipsam, ut videtur, referatur, Jehudae quidem ut interpreti tribuetur, non ut auctori. De utroque libro ad utrumque auctorem nihil Wolfius, ceterique bibliographi. Jam vero noster hic interpres librum hunc a libro Procli distinguit, arabique philosopho tribuit, quem equidem Alpharabium esse et credere, et constituere possem, cujus aliud opus statim sequitur, nisi titulus alterius ms. 776 aperte moneret ex doctorum ejus aevi sententia Aristoteli attribui, vel Algazalio. Codex etiam iste verum libri titulum prodit, qui in nostro desideratur: » Liber פרחי האלהות *florum divinitatis,* ab aliis dictus ספר העלות *Liber caussarum,* quem attribuunt Aristoteli, alii vero Algazalio ». Nec aliam libri inscriptionem praesefefunt codices 315 et 1174. Qui sequitur Alpharabii li-

ber, inscribitur ספר התחלות הנמצאות *Liber de principiis essentialibus,* nec dubito eundem esse cum libro de principiis naturalibus, quem ms. possidebat Bartoloccius, notatque Wolfius extare Parisiis in bibliotheca Oratoriana. Idem opus sub eodem titulo extat in tribus aliis meis codicibus, 207, 771, et 776.

Algazalii liber *de Opinionibus philosophorum* servatur quoque in biblioth. Vaticana, nationali Parisiensi, Colbertina, Leidensi, Lipsiensi, Taurinensi, et in codicibus meis 143, 437, 515. Ejus etiam varia apographa possidet Oppenheimeriana. In hoc meo codice interpres reticetur, at vero ex 437, 515 aperte colligitur, R. Jehudam filium Sal. Nathan eum ex arabico vertisse. Porro quum in hoc libro agatur primum de logica, dein de metaphysica, postremo de rebus physicis ac naturalibus, quae totidem ejus partes constituunt, magna hinc suspicio oritur nostri auctoris logicam, metaphysicam ac physicam unum eundemque cum nostro hoc librum efficere, ac perperam a Wolfio sub duobus diversis numeris, 4 et 6, ut distinctos ac diversos recenseri.

Singularis est titulus סתרי תורה, quo tum in fronte, tum ad calcem insignitur Abulaphiae Comm. in Morè nevochìm. A bibliographis enim omnibus qui ejus mentionem faciunt, is inscribitur מורה המורה *More ammorè,* seu *doctor, illustrator libri Morè,* titulo Sidrè torà uni attributo operi nostri auctoris, quod de legis arcanis agit, nosque sub cod. 141 recensemus. Cabbalisticus est hic comm., et incipit: » In nomine Domini Dei israel scribam Commentarium mysteriorum Morè nevochìm, qui dicitur liber arcanorum legis ». Hic idem titulus haecque eadem verba leguntur in fronte alterius exemplaris hujus libri, quod sistit cod. 1228.

Librum Ben poràth R. Jehudae fil. Mosis fil. Dan. Romani, Bartoloccio, Wolfio ac ceteris bibliographis ignotissimum, in hoc nostro codice in IV capita dividi supra notavimus ad cod. 129, qui alterum ejus exemplar complectitur. In anonymo qui sequitur Comm. difficiliora vocabula earum Constitutionum Maimonidis explanantur, ac quaedam etiam loca emendantur. Ad ejus calcem legitur: » Absolutum porro est opus ministerii sancti, quod scripsi ego Abraham filius Menachemi Aletrini feria v hebd. die XVI mensis scebàt, an. min. supp. 186 », atque hoc quidem bis designato, primo vocabulo מקום, deinde ציון.

Cod. 287

Agiographa, seu *Psalmi, Job, Prov., Dan., Esd., Nehemias*, memb. ital. 4.° sec. xiv.

Initiales majores, ac psalmi numerantur 149. Unicus Dan. ix 26, rar. Prov. xxviiI 1, Dan. I 15.

Cod. 288

Anonymi *Commentarius in Leviticum*, chart. rabbin. in 4.° sec. xvI.

Cod. 289

Psalmi cum *Comm.* R. Joel aben Sohèv, chart. laevig. in fol. sec. xv, vel init. xvI.

Textus charactere exaratus quadrato hisp. sine punctis, comm. rabbinico. Adeo hic diffusus est, ut bina vol. in folio complectatur, quorum secundum tantum codex continet, incipiens a Psalmo LxxiiI. Is editus est Thessal. an. 1569 sub titulo מורא חדלות. Illud autem non dissimulandum in praef. filii quae in ea editione praecedit, sex auctori nostro libros attribui, Comm. Pent., Comm. in Jobum, Comm. in Pirkè avòth, Comm. in v Meghillòth, Conciones sabbathi et Comm. in Psalmos. Horum binos tantum postremos memorat Wolfius.

Cod. 290

R. Mosis Nachmanidis *Commentarius in Pent.* abbreviatus, membr. bomb. rabbin. in 4.° min. sec. xiv.

Cod. 291

Aphtaroth seu *Lectiones proph.* membr. in 4. sec. xiiI.

Character accedit ad hisp., sed litterae nonnullae sequuntur formam germ.. Initiales litterae majores, ornatu varii coloris circumseptae, tituli sectionum rubri. Extat ad calcem nota vetustate detrita, in qua apparent nomina Mosis ex urbe Fani, et R. Biniamini filii Jechiel.

Cod. 292

Ordo precum cum *Psal. occurr.*, membr. rabbin. 16. initio sec. xv.

Cod. 293

Pentateuchus, membr. rabb. in 12. 2 col. sec. xiv.

Cernitur sub codicis initium stemma antiqui possessoris, librorumque tituli non modo aureis litteris cohonestantur, sed et eleganti ornatu aureo variique coloris. Recentior manus multa loca emendavit, quae spatium sectionum aliaque respiciunt minimi momenti, producta alicubi alterius antiqui cod. auctoritate. Constat fol. 270.

Cod. 294

1.° R. Immanuel fil. Jacobi *Liber sex alarum astronomicus*.

2.° *Tabulae astronomicae*.

3.° R. ISAACI FIL. SAL. FIL. ALCHADEV hispani *Orach selulà, Semita strata*, chart. rabb. in fol. min. sec. XV.

De tertio opusculo pariter astronomico, quod servatur etiam in Vaticana Wolfius T. I p. 648, et III p. 553, auctorem appellans אלחראף. Codex noster אלחרב.

COD. 295

PROPHETAE PRIORES AC POSTERIORES, seu *Josue, Judices, Libri Samuelis* ac *Regum, Isaias, Jeremias, Ezechiel* ac *XII Minores* cum *Masora*, membr. hisp. fol. 2 col. sec. XIV vel initium XV.

Codex splendidissimus ac pulcherrimo charactere exaratus, summaque diligentia. Adest masora utraque, initiales nullae, nullaque epigraphe, iis tantum verbis expliciens *Benedictus misericors qui adjuvit nos*. Fere unicus Isai. V 13, Jer. XXII 10, et Mich. II 6, rar. Jos. XVIII 21, Sophon. I 17.

COD. 296

PENTATEUCHUS, membr. ital. in 12. sec. XIV.

Initiales majores, kerì nullum, unicus Gen. XLIX 12, Exodi VI 6, IX 4, X 24, XI 4.

COD. 297

QUINQUE MEGHILLÒTH, seu *Canticum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, Esther*, et *Aphtaròth*, seu *proph. Sectiones*, membr. rabb. sec. XV.

Extant ad marg. memb. mei exemplaris Pent. Ulyssip. an. 1491 antiqua manu conscriptae.

COD. 298

ANONYMI *Commentarius in Jobum* et *Libros regum*, memb. rabb. 4. min. sec. XIII.

Antiquus bonaeque notae, sed sub init. ac finem mutilus.

COD. 299

1.° R. JEDAJAE PENINI, seu potius R. SAL. GAVIRÒL *Mivchàr appeninim, Delectus margaritarum*.

2. ESOPAEI R. JOSEP. *Kaaràd chèseph, Scutella argentea*.

3.° Ej. *Epistola metrica ad fil. R. Samuelem*, membr. rabb. 4. min. vel 8. sec. XIV.

In libro Mivchàr paucae quaedam variae aliorum codicum lectiones et illustrationes occurrunt, pleniores notae in Esopaei kaarad, de qua, ut et de inedita ejus epistola ad R. Samuel, sat diximus ad codicem 62.

COD. 300

1.° ANONYMI *Liber Sciddà* et *Sciddòth*.

2.° ANON. *Liber machanaim*, seu *binorum castrorum*.

3.° R. ABR. PERITZÒL, vel FARISSOL, *Ighèred orchoth olàm, Epistola itiner. mundi*.

4.° R. JEHUDAE FIL. MOSIS DE FANO *Comm. in Ecclesias.*, chart. rabb. 4. 1526.

Primus liber שרה׳ ושרות, *Symphonia* et *symphoniae* ex Eccle. II 8, anonymus, ineditus, ignotus, XIV constat capitibus, quorum tamen postremi vix adest titulus, in quibus agitur de spiritibus malis ac rebellibus et de daemonibus. Secundus מחנים in V capita dividitur, binaque castra, quorum primum agit de angelis bonis, alterum de malis. Ineditus et ipse, nec ab ullo bibliographo memoratus. Contra notissima ac celebris est Peritzolii, vel potius Farissol, ut alibi ex ejus autographo legendum esse ostendimus, epistola de itineribus mundi saepe edita, de qua Bartoloc., Wolfius, Hyde, aliique multa, nosque ipsi olim non pauca diximus *De typogr. hebr. Ferrar.* p. 103. Ad calcem hujus epistolae haec leguntur: » Hoc est quod intendit dux excelsus dominus Abraham Faritzol quem Deus tueatur, Ferrariensis incola, scribere in epistola hac. Finitus est liber et absolutus, laus Deo seculi, opera minimi Josephi Finzi, quem Deus servet, die VI adar an. 286 min. supp. », Ch. 1526. Videlicet anno immediate sequenti annum compositionis; anno enim 285, ut editionis titulus edocet, librum auctor elucubravit. Alia quae subjicitur, epigraphe, ea recentiori manu ex edito est descripta. Mss. codices hujus operis alicubi inter se dissidere constat ex doctissimi Hyde scholiis in hunc libellum, in quibus variae quaedam afferuntur lectiones cod. Bodlejani ac Veneti. Noster hic, ut et Bodlejanus, cum quo conspirat, primigenium ubique Peritzolii servant textum, in Veneto codice, ac Veneta editione, quam Hydius ob ejus raritatem videre non potuit ac conferre, ad avertendam christianorum invidiam et odium aliquando correctum et mutatum. Ita sub fin. cap. XIV, ubi Venetus textus, ms. et editus, habet בארמון ס׳ פיירו *in basilica sancti Petri*, noster ac Bodlejanus et Hydiana editio, legunt, ut primitus scripserat auctor, בבמה׳ הגדולה׳ מ׳ פייר׳ *in excelso maximo apostatae Petri*, adhibito vocabulo quod idololatricum fanum denotat, praepositaque apostoli nomini diversa sigla, dubia ea quidem et incerta, sed quae in ore judaei sive scribentis sive legentis et ex communi ejus usu, non aliter quam mumàr vel mescumàd potest interpretari. Conf. Hyde *Notae* p. 96 et 97, et quae nos abunde de hoc auctore, ejus nomine, ae-

tate, scriptis observavimus ad cod. 48, et 145. De R. Jehuda filio Mosis Fanensis ejusque operibus agit Wolfius T. I p. 451, et III p. 336, sed de ejus Comm. in Ecclesiastem, qui in nostro hoc codice sistitur, profundum utrobique servat silentium.

COD. 301

R. DAV. KIMCHÌ *Commentarius in Prophetas minores*, chart. rabb. in 4.° sec. XV.

COD. 302

R. RAPHAELIS FILII ISAACI Cordubensis *Liber Chemdàd bachurìm*, seu *Conciones varii argumenti* ineditae, charta laevigata vel orientali rabb. in fol. seculi elapsi.

Auctor appellatur quoque Moses de Corduba, ut patet ex praef. initio, ubi et Isaaco patri multae tribuuntur laudes. Sub neutro nomine eum memorat Wolfius, nullaque in eo libri vestigia. Is coaevus fuit R. Jehudae Lermae, qui bina opera edidit, et morabatur, ut notat Wolfius T. III pag. 333, in urbe Albae graecae, vulgo Belgrado, summis eum laudibus celebrans testansque se benevole ab eo exceptum. Congruunt haec cum iis quae fol. 61 de se narrat auctor, sua ipsius manu notans ad marg. concionem illam sabbathi fecisse in synagoga Albae grecae anno a condito orbe 5392, Chr. 1632. Quae autem sequitur concio, omnium postrema, dicitur in titulo habita » hic in urbe Bosna serai, quum audivi obitum rabbini magni, docti et pii doctoris ac praeceptoris mei R. Samuelis ben Sid, qui inhabitabat Jerusalem urbem sanctam, an. 5395 », Chr. 1635. De hoc rabbino Wolf. T. III p. 1115, Venetum eum appellans, qui potius Hierosolymitanus erat dicendus, nec quod subdit, obstant temporis rationes, quin idem sit cum eo, cujus commentario usum se esse profitetur R. Samuel Oseida. Praeter hos titulos manifeste ab auctore appositos, extant et crebra additamenta, interdum et textuales emendationes, quae demonstrant codicem ej. manu fuisse scriptum, et esse autographum.

COD. 303

1.° R. MOSIS NACHMANIDIS *Sàhar aghemùl*, *Porta* seu *Sectio retributionis*.

2.° Ej. *Pirkè arambàn*, *Capitula* Nachmanidis, seu ej. *Liber de fide et spe*.

3.° ANON. *Comm. cabbalisticus in odiòth*, seu *alphabeti litteras*, chart. rabbin. in fol. seculi XV.

Pluries editus est primus ille Nachmanidis liber, edita et quae sequuntur ejus

capitula, sub quo titulo plane novo et ignoto continetur nostri auctoris liber de fide et spe. Ad marg. cabbalistici Comm. odiòth, qui ineditus et ipse est, et anonymus, crebrae extant notae, saepe etiam intra lineas.

Cod. 304

Biblia cum *utraque Masora*, memb. hisp. fol. 3 col. anni 1278.

Elegantissimus et accurratissimus codex, olim Kenn. 523 Florentiae collatus. Masora magna varios exprimit ornatus, flores, animalia, candelabra ingeniose disposita. Majusculae nullae, servat in Agiographis ordinem talmudicum, et deficit a I Reg. III 17 ad XII 27, et Jerem. XXXIX 10 ad LII 3. Ad calcem in exiguo circulo legitur: » Scriptus opera Jehudae filii R. Joab hic Barcinone anno א״ך טו״ב seu 38 sexti millenarii ». Quamquam porro hispanicus sit, recedit haud infrequenter a recepto textu, multasque masoreticorum codicum anomalias emendat. Servat et aliquando lectiones unicas ac singulares, ut Isai. XXXI 4, LXVI 1, Amos IX 12, Eccle. II 22, Job XXXVI 33, fere unicas, ut II Reg. XXIII 10, Ezech. XXII 4, Prov. II 13, rarissimas, ut Isai. VII 16, XXXIII 3, LIII 9, Job XLI 11, Esd. II 70.

Cod. 305

Prophetae priores ac posteriores *omnes*, seu *Josue, Judices, Libri Samuelis* ac *Regum, Isaias, Jeremias, Ezechiel, XII Minores* cum *utraque Masora*, memb. germ. in fol. max. 3 col. sub fin. sec. XIII vel in. XIV.

Magnificentissimus ac praestantissimus codex, olim Kennic. 524, cujus librorum exordia praegrandibus fulgent litteris, quique in fronte dicitur a Mose Isaaco fil. Josuae fil. Jekuthiel Rophè acquisitus die III chislev an. 5165, Chr. 1405. Altera ej. Mosis extat nota nati sibi filii, altera ad calc. ejus qui masoram descripsit: » Explicit masora XXIV libr. die XIII mensis ellul anno 111 sexti millenarii », Ch. 1351. Plurimas recondit varias lectiones optimae notae, in iisque servandis unicus est I Sam. XXV 12, II Reg. VIII 18, Isaiae III 25, XXIV 18, Ezech. XXXVI 15, Mich. II 4 et 12, Zach. V 4, fere unicus II Sam. XVIII 3, II Reg. XV 28, Isai. XXX 8, Jer. X 3, Amos I 1, Habac. III 2 et 12, perrarus Jud. IX 41 et 53, I Sam. XXIV 14, Isai. LXI 8, Ezech. XXVII 6 et 17.

Cod. 306

1.° R. Jacob ben Machir *Commentar. in astrolabium.*

2.° *Tabulae astronomicae*, chart. rabb. in 4.° sec. XV.

Deest sub in. prima sectio et folium sub dimidium. Ad calc. primi opusculi: » Explicit Comm. astrolabii R. Jacobi fil. R. Machir fel. m. » Idest a R. Jacobo fil. Machir hebraice versus. Nam eum non esse operis auctorem, sed interpretem, vidimus ad cod. 123 qui hunc eundem comm. complectitur.

COD. 307

R. SAMUELIS MOTOT *Commentarius in Aben Ezram super Pent.*, chart. rab. 4.° sec. XV.

COD. 308

1.° R. BINIAMINI FIL. JEHUDAE *Commentarius in Paralipomena*.

2.° R. ISAIAE PRIORIS *Comm. in Psalmos*.

3.° Ej. *Comm. in Job*.

4.° R. BINIAMINI FIL. JEH. *Comm. in Proverbia*.

5.° R. ABR. ABEN EZRAE *Comm. in Ruth*.

6.° Ej. *Comm. in Canticum canticorum*.

7.° Ej. *Comment. in Eccle.*

8.° Ej. *Comm. in Threnos*.

9.° Ej. *Comm. in Esther*.

10.° Ej. *Comm. in Daniel.*

11.° R. SAADIAE *Comm. in Danielem*.

12.° ANON. *Comm. in Esdr.*

13.° R. BECHAI *Oratio* quae incipit *Benedic anima mea*, membr. rabb. in 4.° sec. XIV.

Inediti sunt R. Biniamini fil. Jeh. commentarii in Paral. ac Prov., ac priorem quidem bini alii ex meis codicibus exhibent, 691, 728. Extat etiam in Oppenheimeriana teste Wolfio T. III p. 152, et in Medicea, teste Montfauconio et Biscionio *Biblioth. heb. Flor.* p. 160. Posterior habetur et in 728. In priore comm. vocatur auctor nomine solo Biniamini, in posteriore plenius Biniamini fil. Jeh. Romani. Ineditus est et uterque Isaiae Comm. in Psalmos ac Jobum, quos complectitur quoque codex Lipsiensis, ex quo Josuam edidit Abichtius. V. Wolf. T. I p. 707, et quae fuse de auctore annotavimus ad cod. 195. Comm. in Psalmos una cum scholiis nostri auctoris in alios libros iterum invenies in nostro 470, Aben Ezrae vero Comm. in V Meghillòth in 584 et 694, tandem Saadiae comm. in Dan. in 456 et 728. Metrica epigr. claudit Aben Ezrae Comm. in Eccle., in qua dicitur ab auctore absolutus an. 4900, Ch. 1140. Quod Wolfius non notat, etsi ea epigraphe sit excusa. Patet autem ex versibus huic commentario praemissis eum Romae Aben Ezram composuisse, ac proinde jam ab eo anno fixum in ea urbe habuisse domicilium, idest sexennio ante 1146, quo

illic eum floruisse tradunt Simonius ac Wolfius T. I p. 72. Cujus sit Comm. in Esdram, nostri codicis titulus non prodit, et ut antiqui sane scriptoris est, non temere conjiceret quispiam ipsius Saadiae esse, vel R. Biniam.

COD. 309

ORDO JUD. PRECUM cum *Seder* R. Eliae, seu *Excerptis biblicis* et *Psalmis* occurr., memb. rabb. 16. sec. XV.

COD. 310

MACHAZOR ital. cum *Cantico Exodi, Pirkè avòth, Azaròth Eliae* et Sal. Gaviròl, et *Psal.* occurr., memb. rabb. in 4.° an. 1379.

In detrita inscriptione quae habetur in fine, extant vestigia anni 5139 ab O. C.

COD. 311

R. MOSIS NACHMANIDIS *Comm. in Pentateuch.*, chart. rabb. 4.° an. 1467.

Incipit a Levitico. Ad calcem: » Finita est descriptio huj. lib. opera Josuae Coèn die XXI mensis scebbat an. 5227 a creatione hic in בוטראגו Botrago in academia sapientis perfecti R. Isaaci Aboàb ».

COD. 312

1.° HIPPOCRATIS *Aphorismi* cum *Comm.* R. Mosis Maimonidis ex vers. Mosis aben Tibbòn.

2.° MAHOMETIS FIL. ZACH. ALRASÌ, vulgo ABUBECHER, *Piskè*, seu *Decisiones medicae*.

3.° AVERROIS *Liber physicae auscultationis*.

4.° R. JEHUDAE ROPHÈ ערוגת הבושם *Arugàd abòscem, Area aromatica*, memb. et chart. rabb. in 4.° an. 1410.

De Hippocratis Aphorismis ad cod. 150. Incipiunt a Maimonidis praef., cujus comm. subjicitur, sed in fine deficiunt. Alrazi Decisiones extant etiam mss. in Leidensi, monente Wolfio T. III p. 3, qui tamen in eo corrigendus, quod septem tractatibus constare dicat, quum constent XXVI. Sub earum finem hoc amanuensis testimonium conspicitur. » Expliciunt Decisiones omnes Mahometis fil. Zachariae Alrazì, absolutaeque sunt opera vermis et non hominis Malchiel Coèn minimi fil. R. Sabtai Coèn ex איקראה. Scriptus porro est liber die XXVIII mensis tamùz anno 5170 in urbe אקשיא... Hocque in gratiam cl. domini ac praeceptoris mei R. Jehudae sapientis CPolitani ex familia Henochaea ». Plures libros, qui inscribuntur Arugàd abòscem, profert Wolfius, sed de nostro hoc medico ejusque auctore altum servat silentium. Hanc habet ad calcem epigr.: » Finitus est hic liber domini ac praeceptoris mei, sapientis cl., R.

Jehudae Rophè, seu medici per manum minimi Salomonis filii excelsi patris mei, praeceptoris mei, coronae capitis mei, luminis oculorum meorum et cordis mei, cl. R. Chaijm Bedorach fil. justi R. Mosis, cujus memoria sit in benedictione ».

Cod. 313

1.° Ecclesiastes cum *Comm.* R. Isaaci fil. Abrahami.

2.° R. Levi Gersonidis *Comm. in Ecclesiastem*.

3.° Auctoris *Alacòth Epistola*.

4.° *Excerpta tractatus Meghillà*.

5.° Anon. *Quaesita varia et responsa*.

6.° R. Chaiim ben Galipapa *Comm. in ordinem Avodà*.

7.° R. Josephi ben Avithor *Comm. in eundem ordinem*.

8.° R. Nathan bar Joseph ex Klaramòth *Comm. Agadae*.

9.° R. Joseph ben Levì, seu Vidal ben Benbenaste *Oratio metrica in die jejunii*, chart. rabb. 4.° sub fin. sec. xiv vel in. xv.

Ineditus rarissimusque est Comm. in Ecclesiast. R. Isaaci bar Abraham, extatque etiam in Vaticana, teste Bartoloccio ac Wolfio T. I p. 644. Titulum ei imposuit auctor *Toledòth itzchàk ben Abraham*, seu *Generationes Isaaci filii Abr.*, praemittitque expositioni duodecim fundamenta, quibus superstructum Ecclesiastis librum putat. Gersonidis Comm. praefert in fronte nomen magistri Leon de Baniolas, quo is communiter appellabatur. Sub finem dicitur » absolutus die IX mensis marchesvàn an. 89 sexti millenarii », Ch. 1328. Quod de ipsa libri compositione intelligendum est, confirmans codicem Taurinensem A IV 4, in quo idem annus legitur, damnansque Sorbonicum, in quo habetur annus 5047, de quo merito dubitat Wolfius T. III p. 648. De R. Chaiim ben Galipapa ejusque libro עמק רפאים *Hémek rephaìm*, seu *Valli gigantum* ex Sabtaeo agit Wolfius T. I p. 372 et IV p. 821, paucissimis quidem verbis, in quibus haec ex nostro codice emendanda. Primo auctor dicendus est ben Galipapa, praeposito ben, secundo Galipapa scribendum, non Galapapa, vel Galeppa, tandem conjunctim efferendum nomen unoque verbo, non Gala papa. De Josepho autem ben Avithor ejusque libro nihil habet Wolfius, nec de Nathan bar Joseph de Klaramòth, ejusque commentario agadae. Quod spectat vero ad orationem metricam jejunii, ea in primis strophis, seu initialibus earum litteris hoc auctoris nomen praebet *Ego Joseph ben Levì*, in po-

strema vero alterum *Vidal ben Benbenaste*, quibus unus idemque vir, ut videtur, vocabatur. Primum illud nomen Wolfius omittit, secundum refert T. I p. 353, illudque clarum est et celebre ex disputatione contra Hieronymum a sancta fide coram Benedicto XIII habita eleganti que oratione, quam asserit auctor *Scevet jehudà* omnium qui adstabant, rabbinorum primum coram summo pontifice pronunciasse. Ejus exordium vide si lubet p. 231 latinae Gentii versionis, oratoris vero laudes p. 227. Ac memorat quidem Wolfius ejus librum *Melitzà* CPoli editum, quem possidemus, sed nostram hanc orat. ignoravit.

COD. 314

1.° R. ABR. ABEN EZRAE *Commentarius in Isaiam*.

2.° Ej. *Liber* יסוד מורא *Jesòd morà* et סוד תורה *Sod torà*, sive *Fundamentum timoris* et *Arcanum legis*.

3.° R. SAL. SCARBÈT *Comm.* libri Aben Ezrae השם *Ascèm*, vel *de nomine tetragrammato*.

4.° R. MARDOCHAEI COMTINO *Comm. libri Jesòd morà*.

5.° ABEN EZRAE יסוד מספר *Jesod mispàr*, seu *Fundamentum numerorum*.

6.° Ej. שפה יתר *Sephàd jèder*, seu *Labium excellentiae*.

7.° Ej. שפה ברורה *Saphà berurà*, seu *Labium purum*.

8.° R. JEH. CHIUG ס' נקוד *Liber nikùd*, seu *de punctatione et accentibus*, chart. rabb. 4.° sec. XVI.

De Aben Ezrae Jesod morà multa Wolfius T. I p. 78 et III p. 49. Collatus liber cum rarissima editione CPolitana an. 1530, quam pariter possidemus, interdum ab ea discrepat, multaque habet ex ms. alio exemplari sive intra lineas, sive ad marg. addita et emendata. Theologici est argumenti, ut recte notat Wolfius adversus Buxtorfium patrem, Bartoloccium, Basnagium, aliosque qui grammaticum crediderant. Singularis autem plane est et inaudita quae in nostro codice legitur, hujus libri epigraphe, multa pandens hucusque ignota: » Ego Abraham hispanus fil. R. Meir hispani, dicti aben Ezrae, incepi componere ac scribere hunc librum in urbe שׂשנדיריש Sasanderes in insula Angliae mense tamùz, ac finitus est mense av sub finem IV hebdomadum an. 4919 a creatione mundi. Sit laus Deo soli, qui magnificavit misericordiam suam cum Abr. servo suo ». Ineditus et ignotus est R. Sal. Scarbet Comm. in ej. Aben Ezrae lib. Ascèm, seu de divino nomine ineffabili. Ignotus et auctor, qui in versibus nonnullis, qui praef. loco praecedunt, ait se eum con-

cinnasse, quum e patria sua exul veniret ad urbem Ephesi anno הא-ספר, seu 5340, Chr. 1580, si litterae quidem omnes debent assumi, de quo dubitari potest. Constat octo sectionibus. Sequitur R. Mardochaei Comtino Comm. Jesòd morà, ineditus et ipse, qui extat etiam in Vaticana, Parisiensi nationali et Bodlejana. Alii Cumatianum sed minus accurate pronunciant, mendosissime vero Bartoloccius Sabtaeus et auctor Chèder torà per ב Bomtinum. Male etiam nonnulli karaeum censuerunt, librum potissimum *Novelòth chochmà* secuti. Aliud libri exemplar aliaque auctoris scripta, omnia inedita, vide infra ad cod. 556, et in *Biblioth.* nostra *jud. auctor.* T. I p. 94. Praecedunt triginta versus, quorum primi quindecim ad dextram positi acrostici sunt initialibus litteris auctoris nomen innuentes *Ego Mardochaeus Comtinus*. Sub initium vero prosaicae praef. ait se in urbe Adrianopolis domicilium suum fixisse, et in ea, quum in captivitate esset et regione aliena, comm. hunc suum composuisse.

Ineditus est etiam Aben Ezrae libellus Jesòd mispàr, bina tantum folia continens, in quibus de hebr. numeris, seu primis decem litteris eos indicantibus, variaque earum syntaxi agitur, hinc unus idemque cum libro Echad, qui, Bartoloccio teste, agit de virtute numerorum ab uno ad decem. Male ergo eos, ut diversos, distinxerunt Bartoloccius ipse ac Wolfius, quamvis hic forte rectius a Sabtaeo utrumque librum pro eodem haberi fateatur. De libro Sephàd jèder, pariter inedito, id unum notat Wolfius T. I p. 80 esse librum grammaticum ab Ephodaeo laudatum. Ac rarissimum eum longe esse vel ex eo dignosci potest, quod nulla a Wolfio aliisque auctoribus bibliotheca producatur, in qua servetur, nec in instructissima ipsa Oppenheimeriana compareat. Quinque foliis constat, scopusque Aben Ezrae in eo est cel. Saadiam adversus R. Adonim levitam filium Labrat defendere, eaque refutare, quae de sacrarum dictionum significationibus is reprehenderat in doctissimo illo gaone. Plurima hinc loca sacrarum Scripturarum, obscuraque vocabula egregie illustrantur.

Librum Saphà berurà CPoli editum esse monent Sabtaeus et Wolfius, nosque rebus nostris perraram hanc editionem adnumeramus, cum qua, paucis exceptis, codex congruit. Animadversione tamen dignum est, nec ab ullo, quod sciam, bibliographo

memoriae proditum, quod ad calcem fusae praef. tradit auctor se Romae composuisse librum Moznàim, Lucae librum Jesòd et Sephàd jèder, Mantuae librum Tzachùd, quamquam quod spectat ad librum Moznàim, illud in fronte jam monuerit Bombergiana editio anni 1546. Notanda quoque sunt quae sub hujus libri finem in nostro codice occurrunt, auctoris verba ac versus, testantis se eum Romae absolvisse feria vI anno 4927, Ch. 1167, aperteque refutantis quotquot eum anno 1148, vel 1165 obiisse contendunt. Quo eodem anno 1167 absolvit et Comm. in Pent., ut patet ex auctoris epigraphe, quam servat cod. Vatic. 39, cui librarii altera subnectitur, qui testatur eum decessisse die iI mensis adar primi ej. anni. Utramque refert *Catal. Vatic.* p. 29, ubi tamen in versione posterioris emendandus est annus ab O. C. 4937, qui typogr. mendo irrepsit. At vero de emortuali ejus anno habemus jam in nostro codice post ea auctoris verba notam alteram singularem, in qua, rejectis epochis omnibus hucusque statutis, nova plane sed falsissima producitur, eum fato cessisse anno Ch. 1224. » Mortuus est autem sapiens hic magnus die mensis adar primo anno 4984, fuitque anima ejus colligata in fasciculo viventium ». Vide quae fuse de hac re disputavimus in *Dict.* nostro *hist. jud. auctor.* T. I p. 8 ac seq., ubi et de singulis Aben Ezrae scriptis accurate egimus. Qui codicem claudit liber, is nec auctorem, nec titulum habet expressum, sed collatione facta reperi eum esse perrarum et ineditum librum Nikùd celebris et antiquissimi grammatici, omnium principis, R. Jehudae Chiug Fessani, de quo nostroque ejus libro conferantur quae infra observavimus ad cod. 396, et in commemorato *Diction.* T. I p. 88.

Cod. 315

1.° R. Jehudae fil. Mosis fil. Dan. *Lib. de facultatibus animae fratris praedicatoris Compendium* hebr. versum.

2.° Ej. Fratris *Liber de ente, et essentia,* vel *substantia* hebr. versus ab eodem Jehuda.

3.° Averrois *Robur caelorum* ex heb. versione ej. interpretis et cum ejus *Comm.*

4.° Anon. *Pirchè elahùd,* seu *Flores divinitatis,* vel *Liber de caussis* ab eodem Jehuda hebraice versus cum *scholiis*.

5.° Alberti Magni *Dissertatio de caussis* heb. ab eodem versa et cum *ejus Comm.*

6.° Thomae de Aquino *Excerptum de assequutione in-*

tellectus hebraice ab eodem translatum.

7.° Ej. R. JEHUDAE *Dissertationes varii argumenti* cum *excerptis* variis Thomae Aquinatis, Aegidii Romani, Alberti magni, et Alexandri de ordine minorum.

8.° THOMAE AQUINATIS *Tractatus de speciebus*, vel *ideis* ex eadem versione.

9.° BOETHII *Tractatus de uno et unitate* ex ead. versione.

10.° R. JEH. FIL. Mosis fil. Dan. *Liber ben poràth* sive *Comm. in* Maimonidis *Constitutiones de fundamentis legis*.

11.° ALBERTI MAGNI *Diss. de forma visionis* heb. versa ab eodem Jehuda.

12.° ARISTOTELIS *Lib. de anima* cum *Com.* Aegidii Romani eodem interprete.

13.° ALBERTI M. *Liber de anima* heb. ab eodem versus.

14.° Ej. *De spiritu et anima brutorum* heb. versus.

15.° *Excerpta philosophica* et *expositio sex categoriarum*, chart. rabb. 4.° sec. XV.

Plura et insignia ad *Bibliothecam Wolfianam* supplementa noster hic codex suppeditat. Etenim quae longo ordine in eo recensentur hebr. versiones R. Jeh. fil. Mosis fil. Danielis Romani tractatuum philosophicorum, vel eorumdem compendia et excerpta, ut et ejus liber *Ben poràth* omnia sub eo auctore, seu sub. n.° 756 de eo agente, a Wolfio omittuntur, uno excepto libro de anima, quem perperam illi ut auctori assignat vol. I p. 448. Sed rectiora ex Oppenheimeriano codice edoctus ab eo hebraice tantum interpretatum esse constituit vol. III p. 335. Qui autem in Oppenheimeri codice, ut in meo, memoratur hujus libri commentator אידיאוס a Wolfio non intellectus, is est cl. Aegidius Romanus augustinianus, de quo fuse agit idem Wolfius in eodem vol. III p. 1206 inter anonymos, ac brevius vol. IV p. 774. Itaque quae in hoc nostro codice leguntur Aegidii scripta, ea in Wolfio etiam supplenda. Porro singulae eae versiones dicuntur a Jehuda factae ex lingua נוצרי *latina*. Haec ergo intelligenda pro *peregrina*, quod habet codex Oppenheimeri, nisi, quod suspicor, a Wolfio erratum sit, et pro eo vacabulo legerit נוכרי, unius litterae confusione ac permutatione. De libro פרחי אלהות seu *florum divinitatis*, aliter, ut sub finem notatur, dicto ס' סבות *Libro caussarum*, et a nonnullis Aristoteli, ab aliis Algazalio tributo, conferantur quae diximus ad cod. 286. Nomine fratris germani, quod saepe in codice occurrit, intelligendus procul dubio Albertus magnus. Immo verisimile valde est eum

etiam innui sub nomine fratris praedicatoris, quum sub hoc nomine is saepe vocetur in opere infra notato sub n.° 5.°. De singulis hisce Alberti magni operibus nihil Wolfius, memorans tantum T. III p. 89 ejus Physicam hebraice translatam, quam ipse possidebat. De Thoma autem Aquinate illud unum notat T. I pag. 396 quosdam ejus commentarios in Aristotelem, quos judaei magni faciunt, in eorum sermonem fuisse conversos, ac teste Bartoloccio extare mss. Romae in collegio neophitorum, sed eorum nullum recenset. Silet et de Boetii tractatu de uno et unitate T. I 229, ubi de eo agit, ejusque libro de consolatione philosophiae, qui hebraice in Vaticana reperitur.

Cod. 316

Meghilla', seu *Vol. Esth.* membr. ital. lin. 15 sec. XIV, forte exeuntis XIII.

Primum vocabulum maj. litteris exaratum, preces ante et post dicendae praemissae, scriptura rescripta, integra sub finem membrana recentiori manu suppleta.

Cod. 317

Proverbia cum *Comm.* R. Immanuelis fil. Salomonis et anonymi *scholiis*, membr. fol. 2 col. an. 1401.

Recte Wolfius, Sabtaeum secutus, Commentarium Immanueli nostro tribuerat T. I p. 951, Plantavitii et Bartoloccii errorem emendans. At vero quum deinceps librum vidisset Neapoli editum, in quo is Immanueli filio Jacobi attribuebatur, nec ullum mendum subodoratus, vol. III p. 882 quae primum scripserat retractat, opusque posteriori auctori assignat. Quod profecto non fecisset vir doctus, si praeter editionem illam ms. aliquem codicem habuisset prae manibus quem consuleret. Damnant enim omnes vel fere omnes mendum Neap. illius editionis. Sane ex meis duodecim, quotquot praefationem auctoris habent, diserte R. Immanuelis filii Salomonis exhibent nomen, uno excepto 698, in quo ex vestigiis scripturae hic valde evanidae videtur extitisse nomen Jacobi. Ex quo intelligitur variam illam, procul dubio mendosam, editionis lectionem non tam ex typographorum oscitantia esse repetendam, quam ex inemendato codice quem sequebantur. Adde Immanuelem ipsum filium Sal. in praef. ad Comm. in Job tamquam suum aperte referre nostrum hunc in Proverbia, ita ut nullus sit de hoc dubitandi locus. Ac majus quidem robur erronea illa appel-

latio ben Jacob habere videretur, si diserte, ut Wolfius testatur, occurreret sub initium ac finem editionis. Sed mera haec est Wolfii oscitantia, ut cuique patet hebr. epigraphem ab eo allatam vel minimum attendenti. Sacer textus charactere constat intermedio seu italico cum punctis, commentarius rabbinico. Raram illius lectionem habes ad cap. XXIV 28. Ad marg. sat amplum fusa anonymi scholia ex talmudicis hausta tractatibus aliisque scriptis crebro deprehenduntur. Primo codicis folio posteriori manu notatur dies et annus emortualis celebris Isaaci Alphesi ejusque epitaphium, cui et alia carmina subjiciuntur. Sub finem haec amanuensis apposuit: » Feria I hebd. die XII mensis ellul an. 5161 creationis mundi juxta supp. qua utimur hic Pisauri, quod extat ad oram maris et super flumina Puliae et Jenichae. Ut ego (subintellige notum sit) Isaac Baruch fil. R. Samuelis fil. sancti R. Chaiim galli fel. m. descripsi hunc Proverbiorum librum cum expositione R. Immanuel fel. m., punctisque et accentibus instruxi singulos versus, ut reperi in typo quem habui ob oculos. Eum porro scripsi in gratiam praeceptoris mei dilecti R. Eliae fil. R. Jehudae Rophè vel medici de Roma commorantis nunc Fani ». Folio seq., codicis postremo, quaedam flaviori atramento occurrunt carmina ex nostri, ut videtur, collectione deprompta.

Cod. 318

R. Mos. Maimonidis *Constitutionum compendium*, chart. rabb. 4. sec. XIV.

Cod. 319

Biblia cum *utraque Masora*, membr. rabbin. in 4.° min. 2 col. et 2 voll. an. 1425.

Incipit Gen. II 20. Initiales majores sunt, et libri poetici in hemistichia dividuntur. Psalmi numerantur 149, nec ab iis, sed a Paralipomenis incipiunt Agiographa. Ante ea, seu sub finem Malachiae haec amanuensis conscripsit: » Usque nunc adjuvit me Dominus qui exaltetur. Sic placeat ei ut adjuvet me nunc et usque in seculum amen, Samuel fil. R. Mosis de civitate nova die II mensis nissan an. 185, quae est dies XXI martii ej. anni 185 ». Singularis et unicus est codex Isai. XXI 11, XXXII 12, Zach. XI 15, I Paral. IX 35, XII 8, fere unicus Is. XXII 14, XXXVII 21, Oseae VII 5, VIII 2, Cant. I 5, Job. XXIV 25, Dan. IX 26, rar. Isai. LXI 8, Jud. V 15, Jerem. XXXIII 16, I Paral. VI 11, II Par.

III 5. Servat et interdum ad marg. rarissimum kerì, ut Habac. I 3. Mirum porro est in singularibus lectionibus cum unico hoc nostro codice consentire primam masorethicam Bombergii, seu Jacobi Chaiimi editionem an. 1525, unde non temere olim conjecimus eum ad cel. illius editoris manus fuisse, unumque ex autographis esse habendum famigeratissimae ejus editionis, quae sequentium omnium mater extitit, et fons hodierni masoretici textus. Consensus ille potissimum observatur I Paral IX 35, XII 8, et II Par. III 5. Legantur quae in hanc rem notavimus in *Dissert. praelim.* ad IV vol. *Var.Lectionum* p. XII et XIII, in *Appendice* ad Gen. XXXVI 15, et ad producta Paralip. loca, ingenue fatentes peculiares illas lectiones mendosas procul dubio esse, nostrumque codicem ad inemendatos esse amandandum. Reapse scatet etiam pluribus omissionibus modo unius, modo plurium verborum, modo integrorum versuum, qui ad marg. restituuntur, illudque singularissimum, quod et olim animadversum a me est cit. *Diss. prael.* p. XI, errores ipsos textus inemendatos relinqui, notato tantum ad marg. alios libros aliter legere, ac si illi totidem essent variae codicum lectiones. Quae sane in editoris, editionis, hodiernique textus ex ea derivati honorem neutiquam cedunt. Explicit codex indice aphtararum, fusaque nota vendit. librorum an. 1478.

Cod. 320

Estheris Volumen membr. ital. lin. 18 an. 1480.

Priores columnae antiquiores ac rescriptae, in postrema autem membrana post preces dicitur absolutum per manum אצ״י an. 240. Rarissimae sunt in voluminibus tum Pent., tum Esther epigraphes.

Cod. 321

Psalterium cum *fragmentis Jobi* ac *II Paral.*, memb. ital. 4.° 2 col. sec. XIV.

Incipit Ps. VI atq. hic illic Psalterium mutilum est. Bini libri poetici metrice divisi.

Cod. 322

Pentateuchi *Fragmenta* cum *Masora*, memb. hisp. 4. 2 col. sec. XIII vel init. XIV.

Incipit Gen. XXVI 17 et desinit Deut. X 22.

Cod. 323

1.° R. Isaaci Lateph רב פעלים *Rav pehalìm, Magnus operibus*.

2.° Ej. צורת עולם *Tzuràd olàm, De forma mundi*.

3.° Ej. צרור המור *Tzeròr amòr, Fasciculus myrrhae*.

4.° R. DAVID ABEN BILIA צירים *Tziurim, Figurae* vel *imagines*, membr. et chart. rabb. in 4.° sec. XV.

Omnia inedita. Vix primum ac tertium opus innuit Wolfius T. I p. 669, secundum ex codice Bodlejano paullo fusius delineat T. III pag. 585. Multa tamen sunt in eo emendanda. Nec enim primus codicis tractatus, ut ipse putat, est Latephii nostri Tzuràd olàm, sed secundus, quem diversissimum opinatur. Opus istud, quod in nostri codicis titulo apertissime Latephio tribuitur, constat capitibus XXIII, sub quorum initium reapse profitetur auctor agere » de existentia mundi et forma ejus, ac imagine similitudinis structurae ejus ». Quae concinunt adamussim cum secundo libro cod. Bodlejani, sed illi versus quos ad calcem extare subdit Wolfius, in nostro codice extant in fronte seq. operis Tzeròr ammòr. Ac titulus ipse Tzuràd olàm forte ad secundum ipsum pertinet codicis librum, non ad primum, in quo non modo Latephii nomen non exprimitur, sed ea praemittuntur verba isque capitum numerus, qui in ejus Tzuràd olàm non leguntur, quique idcirco diversum plane opus alteriusque scriptoris censendum est. Praeterea quaestiones illae cum sex responsionibus de urìm et tumìm, quas subdit Wolfius sequi in codice Bodlejano, et forte easdem esse cum iis, quas sub n.° 7 in I vol. ex Bartoloccio memoraverat, idem liber sunt cum Tzeròr ammòr, quem sub n.° 4 recenset. XI namque capitibus constat opusculum, in quorum I sex illae quaestiones de urìm ac tumìm sub initium tamquam fundamenti loco proponuntur. De variis tamen argumentis philosophicis in eo opusculo pertractatur, ut et in praecedenti de forma terrae, primum vero Rav pehalìm theses octo supra octoginta, philosophicas et ipsas, complectitur. Tria haec Latephii scripta simul juncta extant etiam in cod. Vatic. 335, eadem argumenta, eundemque capitum numerum complexa, teste *Catal.* T. I pag. 316. In postremo Biliae, quod duobus tantum foliis constat, morales quaedam expositiones praemittuntur, quas carmen quoddam excipit ipsum auctoris nomen in initialibus detegens. De opusculo alio hujus auctoris, quem Bila appellat, agit Wolfius T. III pag. 188, sed nostrum hoc silentio praetermittit. Primum illud, quod in Oppenheimeriana viderat, sed cujus argumentum non defi-

nit, agit de XIII fidei articulis vel fundamentis. V. illius bibl. *Catal.* fol. 8 b.

Cod. 324

Jotzeròth *Hymni sacri* memb. rabb. 16. sec. XIV.

Ad calc. » Roboretur et confirmetur Samuel scriba.... Ego Samuel fil. Scem Tov de Sforno f. m. ». Extant et Azaròth Eliae et Kadisc Jeh. Levitae.

Cod. 325

Machazòr *italici ritus* cum *Pirkè avòth, Sect. biblicis* ac *Psal.* occurr., membr. rabbin. fol. an. 1458.

Sub finem: » Ego Abr. de Taraboth gallus scripsi et absolvi hoc Machazòr . . . hic in urbe Fori cornelii (Imola) an. 218 . . . in grat. Jacobi fil. R. Jeh. de Mutina . . . Absolutum et finitum anno 218 min. supp. ». Sic restituenda prima et vera codicis aera, nam ad fraudem abrasum est ר, ut antiquior appareret codex et an. 18 conscriptus. In ordine precum extat et Jotzèr sabbathi R. Biniamini, Selicòth variae, Jeh. Levitae carmen *Adòn chasdechà*, Azaròth Eliae et Gaviròl, Piùt Aben Ezrae dicendum post tachanunìm, ej. Gheulà, Rescùd scevuòth Joabi de Bethel, ej. Rescùd kadisc, ut et alterum Joabi fil. Biniamini.

Cod. 326

1.° R. Abr. aben Ezrae *Comm. in Pent.* cum *Comm.* R. Sam. Motot et R. Levi Gersonidis sub titulo אות נפש *Od nefesc, Signum animae*.

2.° Ej. Aben Ezrae *Exemplar aliud abbreviatum Commentarii in Exodum,* memb. rabb. 4.° maj. an. 1445.

Editus est sub titulo *Meghillàd sedarìm* Mototi commentarius, ineditus alter Gersonidis, de quo Wolfius T. I p. 728, et III pag. 650. Hic extat etiam in Bodlejana in cod. CXXX p. 24 novi Uri *Catalogi*. Ad calc. Deut. hanc amanuensis notam posuit: » Absolutum porro est opus hoc duorum librorum duplici charactere, videlicet Rasciani Comm. in Pent. cum Minchàd jehudà et Nachmanidis compendio et delectu dissertationum, et Commentarii sapientis R. Abr. aben Ezrae in Pent. cum libro Motot et Od nèfesc. Scripsi autem illos in gratiam R. Sabtai fil. Jekuthiel fel. m. hic in urbe Salmonae anno 206, mense marchesvàn . . . Jechiel Vita scriba fil. R. Joab de Bethel ». Sequitur נוסחה קצרה, seu exemplar aliud abbreviatum Aben Ezrae in Exodum. Antichristiana loca deleta, sed ad cap. XVIII Gen. integra, quod miror, relicta est marginalis

nota ad voc. חוצי, seu » Errantes spiritu, qui dicunt Deum habere tres personas, et esse unum et trinum », quae monet intelligi הנצרים *christianos*, ac si esse posset ex judaeis lectoribus aliquis adeo stupidus nostrorumque dogmatum ignarus, qui alios subintelligeret.

Cod. 327

1.° R. Mosis Maimonidis *Introductio ad opus miscnicum* ex heb. versione R. Jeh. ben Charizii.

2.° Anon. *Expositio kadìsc.*

3.° Anon. *Expositio octodecim benedictionum.*

4.° R. Mosis Maimonidis *Commentarius cap.* x seu *chèlek tract. de synedrio.*

5.° Ej. *Epistola de resurrectione mortuorum* ex ignota et inedita anon. versione.

6.° Ej. *Epistola ad doctores synag. Montispessulanae.*

7.° *Tract. Pirkè avòth* cum *Capitulo* R. Meir.

8.° Maimonidis *Comm. in Pirkè avòth* cum fusa *praef.* seu *octo Perakìm* ex R. Sam. Tibbonidis translatione.

9.° R. Nathan אבות *Avòth,* seu *Capitula patrum.*

10.° R. Hai fil. Scerira Gaòn *Quaesitum* ac *responsum de redemptione israel.* Praecedit ejus *Decisio.*

11.° R. Saadiae Gaòn *Quaesita* ac *responsa de resurrectione mortuorum.*

12.° R. Sal. Jarchì *Commentarius in Pirkè avòth.*

13.° Anonymi שאלת חלום *Sceelàd chalòm,* seu *Petitio de somnio.*

14.° R. Hai Gaòn *Quaesita ac responsa.*

15.° *Tractatus miscnicus* כלה *Chalà,* idest *de sponsa;*

16.° *Talmudis hierosolymitani caput de conditura aromatica suffitus cum Comm.*

17.° R. Hai *Quaesita alia ac responsa.*

18.° *Quaesita et responsa gheonaeorum.*

19.° *Taamè* seu *Rationes thephilìn et tzitzìth.*

20.° *Quaesita varia ac responsa gheonaeorum,* R. Hai, R. Saadiae et aliorum.

21.° R. Akibae אותיות *Odiòth* seu *Litterae.*

22.° Josue fil. Nun *Constitutiones de mactandis* ac *probandis animalibus.*

23.° Anon. טעם פי׳ נקודות *Tàam perùsc nekudòth,* seu *Ratio expositionis punctor.*

24.° Anonymi טעמי *Taamè* seu *Rationes libri Berescìth,* seu *Genesis.*

25.° Anon. סימני *Simanè,* seu *Signa capitum divisionum Pent. totius anni.*

26.° Anon. *Opusculum de septem* חופות *chuppòth, protectionibus* vel *thalamis praeparatis justis.*

27.° Anonymi *Expositio selectorum versuum libri Geneseos.*

28.° Anon. דרשה *Derascà*, seu *Expositio x plagarum Aegypti*.

29.° Anonymi מדרש *Medràs petiràd aaron*, seu *Expositio allegorica mortis Aaron*.

30.° Anon. פטירת משה *Petiràd moscè*, seu *De morte Mosis*.

31.° Anonymi *Liber* חמישה *Chamiscà*, seu *De numero quinque*.

32.° Anon. *Historia vituli* cum *Commentario*.

33.° Anon. *Comm. in Gen. textum*, *quoniam posuit mihi Deus semen aliud*.

34.° Anon. *Deràsc Ruth et David*.

35.° Anon. אליהו זוטא *Eliàv zotà*, seu *Ordo Eliae minor*.

36.° Anon. פרק שירה *Perèk scirà*, seu *Capitulum cantici*.

37.° Anonymi *Liber* עשרת מלכים *hassèred melachìm* seu *x regum*, membr. rabbin. in 4.° an. 1289.

Vere pretiosus magnique faciendus codex non tam propter indubiam antiquitatem, quam propter multa quae continet, inedita et ignota veterum jud. doctorum scripta. Maimonidis Pedichà, seu introductio ad Miscnam, quae primo loco occurrit sub initium mutila, est ex versione R. Jeh. fil. R. Sal. ben Charizi, eademque, quae extat in fronte editionis Neap., omnium principis, ac seqq. Sed ei subjiciuntur הלכות קצובות Constitutiones quaedam decisae ac breviores judaeorum occidentalium, quae vix dimidiam occupant paginam. Ejusdem Maimonidis epistola de resurrectione mortuorum, seu ejus versio non congruit cum edita Samuelis aben Tibbòn. Est ergo alterius auctoris, inedita, ignota. Nec inter Maimonidis scripta refertur ejus epistola ad doctores synagog. Montispessulanae, quae tamen, collatione instituta, exceptisque quibusdam discrepantiis, eadem est cum epistola ad doctores Massilienses cum ceteris edita.

In Pirkè avòth non exigua lectionis varietas, Capitulum autem R. Meir, quod iisdem addi solet, novo plane titulo in nostro hoc exemplari inscribitur פרק משנה *Capituli traditionis*. Ab iisdem distincta prorsus sunt ac multo fusiora quae sequuntur R. Nathanis Avòth, seu Capitula patrum, perpetua quidem eorum apophtegmata sistentia, sed multis historiis et observationibus immixta. Ea in variis Talmudis editionibus locum habent, constantque, si Wolfio credimus, qui plura de iis habet T. II p. 855, capitibus 30, in nostro autem codice capitibus 49. Eorum auctor creditur R. Nathan Babylonius, domus ju-

dicii, seu supremi consessus praeses, qui ineunte II Christi seculo floruit, pluresque alios, ut notat *Juchasin* fol. 43 b ed. Cracov., libros composuit, cuique etiam priorem tractatum Pirkè avòth quidam attribuunt, sed nullo certo nixi fundamento. Nec sat certum ejus esse posteriorem hunc, nisi quae in utroque recentiorem sapiunt aetatem, pro totidem habeas eorum interpolationibus. Maimonidis Commentario in Pirkè avòth fusa praefigitur praefatio octo Perakìm, eaque ex consueta Sam. Tibbonidis interpretatione.

De rabbènu Hai Gaon Quaesito ac responso de redemptione israel, quod extat etiam in Vaticana in cod. Palat. 181, nihil Wolfius, ac Bartoloccius, nihil auctores *Scalscèled* et *Korè adoròth*, aliique judaeorum scriptores, quamvis de rabbino hoc illustri, qui ad supremum principatus honorem promotus est, annum tantum agens XX, vel juxta alios XVIII, ejusque scriptis ac laudibus agant omnes. Incipit: » De eo autem quod petitis, ut explanem vobis, quomodo futura sit salus ab ejus initio usque ad finem, et mortuorum resurrectio, ac caeli novi, si ego quidem omnia sigillatim ac minutatim exponere aggrederer, tempus deficeret. Sed ego rerum tantum summam enarrabo, quodque de annis termini illius, vel finis praestantius est, eloquar ». Habes itaque hic summatim expositum recens judaeorum systema de Messia utroque eorumque gestis, futile illud quidem et ineptum, sed ob tanti doctoris doctrinam ac famam gravissimae apud judaeos auctoritatis. Non modo autem praecedit celeberrimi ejusdem gaonis quaedam decisio, sed et post cabbalisticum, ineditum, ignotum opusculum שאילת חלום, seu petitionis de somnio ab auctore incerto elucubratum, iterum veniunt viginti alia illius Quaesita ac responsa varii argumenti, ac praeterea alia quatuor post Talmudis hieros. caput de conditura suffitus, quorum altum apud bibliographos silentium. Diversa enim sunt ab ejus Quaesitis et responsis super librum *Jetzirà*, quae mss. legi in bibliotheca Vatic. testatur Bartoloccius et ex Bartoloccio Wolfius T. I p. 345. Inter XVI autem Quaesita ac responsa gheonaeorum, quae extant sub n.° 18, tum et inter varia n. 20, rursus quaedam R. Hai leguntur, quaedam vero aliorum doctorum, Jehudae, Josephi, Nitronaì, Scascina, Mosis, Scarscalom, Chanoch, Nachson et Saadiae. Perpe-

ram etiam in Wolfio aliisque bibliographis quaeres ej. Saadiae Quaesita de resurrectione mortuorum. Sed ea hausta sunt ex VII sectione libri *Emunoth* fol. 64 edit. CP. 1562, etsi nostri codicis textus sit et multo amplior, et valde dissentiens. Seorsim quoque quaesita haec CPoli excusa sunt an. 1517 ad calcem *Medràs Samuel*. Quae editio, rarissima Wolfioque incognita, sed apud nos extans, tantisper et ipsa a nostro codice discrepat.

Notae et editae sunt Odiòth seu litterae Akibae, quae tamen in codice nostro breviores sunt, et ab editione Justinianea an. 1546 valde discrepantes. Sed opuscula, quae sub n.° 19, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 31, 32, 33, 34, 35, 37, designantur, omnia ignota et inedita. Inauditum porro est, et mirum Josuae filio Nun tribui Constitutiones mactationis ac probationis animalium, ut temere fit in nostro codice. Nec recentior ullus ejus nominis scriptor, sed sacer ipse intelligitur, ut patet ex integro titulo: » Constitutiones mactationis et probationis Josuae fil. Nun, quas accepit ex ore Mosis doctoris nostri, ex ore majestatis, constitutio Mosis ex Sinai. Dicit doctor noster Josue ben Nun ex ore Mosis doctoris nostri etc. », sicque pluries repetitur. Novum ergo hic habes pseudepigraphum opus Fabricii collectioni addendum, alterum vero infra sub n.° 35. Sat antiqui tamen illud est auctoris, ut et reliqua omnia vel fere omnia quae sequuntur opera, in quibus perpetua veterum rabbinorum traditio ac catena conspicitur, nullum recentiorum vestigium. Quaedam etiam ex antiquissimis ipsis hebraeorum scriptis videntur hausta, vel eorum esse excerpta. Hinc multa ubique de Messia, nec pauca caussae nostrae utilia. Deràsch Ruth et David incipit: » Septem columnae mundi prodierunt ex Ruth Moabitide ... quae sunt David, Ezechias, Messias, Daniel, Ananias, Misael et Azarias ». Ac paullo post: »De Messia scriptum est: » Et requiescet super eum spiritus Domini spiritus sapientiae et intelligentiae, spiritus consilii ac virtutis, spiritus scientiae et timoris Domini ». Ac paucis iterum interjectis: » Octo sunt nomina Messiae, innòn, tzèmach, Messias, pèle, seu admirabilis, johètz èl, seu consiliarius Dei, vel Deus, ghibbòr, seu fortis, avi hàd, seu pater aeternitatis, et scar scalòm, seu princeps pacis ». Pleraque ex cel. Isaiae prophetia cap. IX deducta. Ad

calcem: סליק חופת אליה׳ *Explicit Thronus* vel *Thalamus Eliae*. Hujus tituli librum, male tamen per koph expressi, maleque versi *Spelunca Eliae*, memorat Sgambatus in *Archivio V. T.* p. 320, ab hoc nostro, ut videtur, diversum, nec confundendum cum *Chuppàd eliàv rabbà* ad calcem *Rescid chochmà* R. Eliae fil. Mosis de Vidas impresso, de quo Wolf. T. I p. 164 et Azulai parte II fol. 29 b.

Liber Eliav zotà XII constat capitibus ac VI foliis. Praemittitur proloquium quoddam, quod incipit: אמרו משום אליה׳ הנביא » Dixerunt nomine Eliae prophetae, magna est eleemosyna etc. » Sic eleemosynae laudes continuantur, inter quas et illa numeratur, quod Messiae dies et adventum acceleret. Primum caput incipit: » Dicit Elias, quum aliquando per viam ambularem, reperi virum quemdam, qui coepit super praeceptorum ratione adversus me insurgere ac dicere, Scriptura quidem data est nobis e monte Sinai, sed traditio, vel Miscnà nobis non est data. Respondi illi: fili mi, an non prolata est utraque ab ore divinae ipsius majestatis? Quid interest inter Scripturam et Miscnam? Annon hoc quod una est textus, altera vero expositio ejus »? Eliae nomen iterum in fronte cap. II, XI, XII, et pluries in postremi hujus contextu comparet, ut et in epigraphe libello subjecta: » Explicit Seder eliàv zotà, seu ordo Eliae minor, laus Deo ». Deficit autem in medio unum folium, quod caput III, et partem IV complectebatur. Ex hac porro descriptione patet librum nostrum Eliàv zotà ab edito et ab eo, qui continetur in cod. 541 et 1240, longe esse diversum, adeoque ineditum et ignotum. Qui enim Venetiis vulgatus est an. 1598 ac Pragae recusus cum comm., constat capitibus XXV, quorum postrema sex alter ille nostrorum codicum exhibet, nec in hoc, ut in edito, Anan quidam introducitur in arca inclusus, Eliae traditiones excipere. De edito agunt Plantavitius, Hottingerus, Sgambatus, Wolfius, ex judaeis auctor *Seder adoròth*, Azulai aliique, sed nostri nulla in iis vestigia deprehenduntur. Illud tamen utrique commune, quod Eliae prophetae a judaeis adscribatur, ejusque traditiones ac doctrinam, ut ipsi fingunt, pandat. Quod adeo clare ex utriusque operis contextu, nostri potissimum, intelligitur, ut locus non fiat Sgambati, auctoris *Beèr scèvah*, aliorumque sententiae, qui contendunt innui Eliam alium posterioris aetatis. Pe-

rèk scirà pro septem hebdomadae diebus septem sistit simanìm, vel signa, in quibus caeli, terra, deserta, pisces, maria, flumina, fontes, sol, luna, stellae, nubes, pluvia, agri, animalia, aves variae, in scripturis introducuntur supremum numen celebrare praepositis singularum creaturarum nominibus quadrato charactere, subjectisque rabbinico scripturarum locis. Congruit ergo argumentum, idemque habendus libellus cum Pirkè scirà, de quo Wolfius T. II p. 1411. Postremi operis quod aeque ineditum atque ignotum est, hic integer titulus: » In nomine ejus qui creavit alta et humilia loca, incipiam describere X reges, qui regnarunt, vel regnabunt a confinibus mundi usque ad ejus extremum », seu per universum orbem. Eorum primus statuitur Deus, secundus Nimrodus, ultimus Messias, de quo ejusque gestis, seu rebus sub eo eventuris multa quoque habentur sub rege VIII antiquis rabbinorum traditionibus consentanea. Sub finem libri et codicis: » Ego Samuel fil. Josephi scribae fil. Samuelis fil. Josephi scribae scripsi hunc librum, qui dicitur Perèk chèlek, absolvique illum initio mensis teveth die ejus V, anni 5050 a creatione mundi in און קשתיל Un vel On kastel. Deus autem in miserationibus suis eripiat nos ab angustiis, in quibus sumus, ac videre faciat nos aedificationem templi electi una cum universo israel ac juda amen amen ».

Cod. 328

Psalmi, Prov., Job, membr. ital. 12 maj. sub fin. sec. XIV.

Incipit Psal. LXXVI 4, et desunt ad calc. postremi octo versus libri Jobi.

Cod. 329

Onkelosi *Targum*, seu *chald. Paraphrasis Pentateuchi*, membr. rabb. 4.° sec. XIII vel in. XIV.

Incipit Gen. XLIII et desinit Deut. XIV 26. Perpetuo ad marg., quod codicis pretium auget, exhibentur variae lectiones aliorum exemplarium, aliaeque non paucae nec levis momenti in ipso textu.

Cod. 330

Estheris Meghillà seu *Vol.* memb. ital. lin. 21 sec. XV.

Cod. 331

Agiographa, seu *Psalmi Job, Proverbia, V Meghillòth, Daniel, Esdras, Nehemias*, membr. semirabb. in 4.° an. 1260.

Incipit Psalm. XLIX 12, psalmi numerantur 149, nul-

lae majores litterae libros inchoant, sub eorum finem extat summa versuum rubris lineis circumsepta, ad calcem vero haec indubia epigraphe: » Ego Beniamin minimus in millibus fil. R. Abr. Rophè scripsi hunc librum laudum cum V Meghillòth, Daniele et Esdra, et absolvi illum feria II die XVII mensis V an. 5020 a creatione mundi, qui est annus 1192 destructionis domus sanctae, quae cito aedificetur in diebus nostris ». Scriba hic est frater R. Sedeciae Rophè auctoris Scibbolè allèketh, qui pluries in utraque hujus libri parte, edita et inedita, eum producit. De utroque diximus ad cod. 190, nostrique hujus esse videntur *Saharìm*, seu XIV *Sectiones rituales* quae occurrunt in variis nostris mss. precum breviariis. Is saepe etiam producitur in libro *Tanìa* tum in Comm. Agadae ex Scibbolè allèketh desumpto, tum alibi, ejusque dantur etiam in eo libro integrae constitutiones et excerpta. Wolfius eum vix nomine innuit T. III p. 148, ejus scripta omittens, ejusque familiae cognomen cum medici titulo confundens. Unicus est Thr. II 13, rarus Eccle. II 26.

COD. 332

MACHAZÒR *ital.* cum *Cantico cant.*, *Ruth*, *Threnis*, *Eccle.* et *Esther*, *Pirkè avòth*, *Azaròth* R. Eliae et Gaviròl, *Sect. Pent.* ac *Proph.* ac *Psalmis* occurr., membr. rabb. in 4.° sec. XIV vel init. XV.

Estheris liber charactere exaratus est quadrato germ., in descriptione variis lectionibus praefixa ac collatione omissus. Quae ad calcem legitur aera Basileae an. 28 sexti millenarii, ea procul dubio supposititia est. Inter anonymas preces occurrit kedoscà novi anni, quae et in multis aliis mss. nostris machazorim legitur, ex editis autem in Soncinensi, Bononiensi, ac reliquis plerisque. Ejus meminit Wolfius T. I p. 201, sed in eo fallitur, quod subdat aliam eidem precationem tribui a Scalscèled fol. 57, quae apud judaeos germanos in usu olim fuerit, et legatur in ms. Vaticano. Nam unica tantum Amnonis haec extat oratio, deque ea una loquitur Scalscèled allato loco, quae et in hodierno usu est apud germanos judaeos, non antiquata. De historia autem ipsa Amnonis, quae orationi concinnandae occasionem dedit, conf. quae notamus ad cod. 563.

COD. 333

R. SAL. JARCHÌ *Commentarius in Pent.*, membr. rabb. fol. min. an. 1392.

Ad calcem: » Ego Abr. filius Avigador complevi hunc

Comm. in Pent. R. Sal. super quem sit pax, luminis captivitatis. Illum quidem coepit scribere dom. Nathan frater meus fel. m., ego autem illum absolvi fer. III hebd. die x mensis tamuz an. 5152 a O. C. ».

COD. 334

ARISTOTELIS *Libri midòth* seu *ethicorum* ab anon. heb. versi, membr. rabb. 12. maj. sub fin. sec. XIV, vel init. XV.

Ex hebr. versione R. Meir Alvarez vel Alguadesc extant in variis bibliothecis, teste Wolfio T. I p. 221 et III p. 136. Quum nulla alia antiquior hujus libri versio nota sit, censendum est hujus ejusdem auctoris, qui regis Castiliae medici et synagogarum ejus regni praesidis munere fungebatur, nostram hanc esse, etsi codex noster anno 1405, quo prior illa facta perhibetur, videatur paullo antiquior. Dividitur opus in X tractatus vel libros, quilibet autem tractatus in alia capita. Desunt saepe initialia verba, ut pictoris opera ornata subjicerentur, occurruntque crebra scholia, additamenta, emendationes, quae evincunt nostrum hoc apographum cum ms. alio fuisse collatum.

COD. 335

PROPHETAE PRIORES seu *Josue, Judices, Libri Sam.* ac *Regum* cum *Masora*, memb. hisp. fol. 2 col. sec. XIII.

Luculentus codex qui incipit Jos. XIV 11 et explicit II Reg. XXI 16.

COD. 336

1.° R. IMMANUEL FIL. JACOBI *Opusc. astronomicum*.

2.° R. CHAIIM KALONYMI fil. David *Dissertatio, qua explanantur viae aspectuum ab Immanuele propositae*.

3.° Ej. *Dissertatiuncula alia de aspectibus planetarum*.

4.° *Motus orbitae octavae* ex *Theorica decerptus* et hebr. versus.

5.° *Dissertatio de eodem motu ex Tabulis* Alphonsi et *Consideratione* Angeli Finzi.

6.° R. IMMANUELIS *Observatio pro dignoscenda stellae longitudine*.

7.° R. ABBA MARÌ *Opusculum astron.*, seu *Rationes regularum* ex *Tabulis Alphonsinis*.

8.° *Tractatus de stellis fixis ex libro doctoris christiani de mutatione aeris*, et aliud *excerptum*.

9.° JOH. DE MONTEREGIO, *Capita quaedam* a Kalonymo versa.

10.° *Tabulae nonnullae astronomicae*.

11.° R. CHAIIM KALONYMI fil. David *Opusc. de influxu stellarum*.

12.° Ej. *Constitutio astronomica an. 1494*, seu *Pro-*

gnostica eorum, quae evenire debebant hoc anno de variis regibus, regnis et urbibus.

13. Ej. *Constitutio* vel *Judicium astronom. an. 1495*, chart. rabb. in 4.° sub fin. seculi XV.

Primum Immanuelis opusculum extat etiam in Leidensi, teste Wolfio T. I pag. 951. At quae sequuntur R. Chaiim Kalonymi incognita omnia sunt eidem Wolfio, qui et auctorem ipsum penitus omittit. Codicem hunc esse ipsissimum Kalonymi autographum, partim ab eo scriptum, partim ab ejus fratre, ego quidem non dubito. Sub finem 7 opusculi aperte legitur: » a me minimo Kalonimo fil. R. Davidis familiae Kalonymorum fel. mem. » Sub init. noni: » Capita nonnulla decerpta vel versa a me Kalonymo ex fundamentis Johannis de Monte regio ». In fronte 12: » Judicium de anno hoc 494 », in fine: » Hicque expliciunt demonstrationes vel signa influxus stellarum anni hujus die III feb. 1494 in urbe Bari... Ego loquens vel ratiocinans minimus Kalonymus fil. domini mei praeceptoris mei sapientis perfecti messer David ex familia Kalonyma, quem Deus tueatur ». Eadem leguntur sub init. ac finem judicii seq. anni. Concinunt reliquae aetatis, characteris, emendationum, additamentorum notae totaque libri conditio. Partem vero codicis scriptam esse ab auctoris fratre patet tum ex titulo II opusculi, tum ex iis quae subjiciuntur nono, tum denique ex scholiis nonnullis posterioris aetatis codici praefixis.

Cod. 337

Psalterium, memb. rabb. 16. vel 24. sec. XV.

Pretiosissimus codex fere unicus Psal. XXII 17 in servanda rarissima lectione, eaque gravissimi momenti כארו *foderunt*, etsi qui puncta subjecit, chirech sub resc apposuerit, ac si chediv esset caarù, kerì caarì. Dici etiam potest in ea aperte tuenda unicus, nam de Kenn. 39 notat Brunsius sibi videri in eo lectum ex prima manu caarì, ut animadvertimus in *Var. Lect.* ad h. l. p. 19. Sub finem indicis psalmorum flaviori charactere legitur aera an. 18 sexti millenarii sed falsissima ac recentioris manus. Sequitur abbreviatus ordo, vel ritus circumcisionis et redemptionis filii.

Cod. 338

R. Menachem de Lonzano אור נגה׃ *Or naghà, Lux splenduit*, sive אור תורה *Or torà, Lux legis*, chart. rabb. 4.° sec. XVI.

Masoreticus liber accuratissimus ac famigeratissimus, de quo Morinus, Simonius, Jablonskius, Wolfius aliique egerunt. Vide hunc T. I p. 765. Is sub solo titulo *Or tora* hucusque notus, quem et editiones omnes praeseferunt, novusque plane et ignotus est titulus *Or naghà*, quem codex noster exhibet, ab ipso procul dubio auctore primum delectus, dein vero in alium mutatus. Nulla praecedit praefatio, sed scholia quaedam critica ab auctore, ut videtur, ipso ex ms. codice, qui tercentos et amplius annos habebat, deprompta. Insignia quaedam occurrunt additamenta, quae in edito non comparent, quorum unum sat fusum sub ipsum codicis initium, seu ad primam Genesis sectionem conspicitur, in quo memorat Lonzanus librum suum אור גדול *Or gadol*, seu *Lucem magnam* inscriptum, bibliographis omnibus ignotissimum. Eum autem critici quoque argumenti esse ex ipsis auctoris verbis patet: » Reperiesque numerum tuum valde imperfectiorem eo numero quem dedi ego in libro meo exiguo, quem vocavi Or gadòl, qui continet emendationem errorum tantum insigniorum, qui sunt in sola sectione berescith circiter nonaginta ». Extant et in codice aliae additiones, mutationes, correctiones antiqua et coaeva manu factae et in editiones receptae, quae non modo ab ipso auctore certe profectae sunt, sed et verisimilius a propria ejus manu. Quam conjecturam et aetas codicis, et antiquus ac primigenius ille titulus, et priora illa additamenta et ipsa primigenia, videntur amplissime confirmare.

Cod. 339

1.° Ben Alghezar *Comp. medicinae* a R. Chaiim fil. ben Musà hebr. translatum.

2.° Anon. אוצר הדלים *Liber Otzar addalim, Thesaurus pauperum*, chart. laevig. rabbin. in 4.° sec. XIV.

Nulla apud Wolfium hujus auctoris, libri, interpretis vestigia. Celebrem Algazelium esse posse, confusa litterula, primum conjeceram, sed bis et ter aperte in libri fronte per resc legitur בן אלגיזר, ubi et ejus liber de medicina dicitur ex lingua eorum, idest arabum, a R. Chaiim fil. ben Musà hebr. translatus, ac praeterea alter auctoris liber proditur, *Viatici* nomine inscriptus. Codex in oriente scriptus, ad cujus marg. notae quaedam et scholia aliquando occurrunt, quorum unum propria manu apposuit R. Joseph Bivas, vel Vivas, CPoli de-

gens, de quo Wolfius T. I p. 507. Eum excipit liber Otzar addalìm, auctoris incerti, medicus et ipse, et a Wolfio etiam omissus, nisi idem, quod suspicor, sit cum אוצר עניים ej. tituli et argumenti libro, mutato synonimo, Chonain fil. Isaaci, de quo Wolfius T. I p. 383.

COD. 340

PENTATEUCHUS, membr. hisp. in 4.° min. 2 col. sec. XIII.

Tikkùn sopherìm, seu typus scribarum sat diligenter exaratus, unde ad marg. indicantur litterae coronulis ornandae, et dantur ad vol. descriptionem regulae. Memorantur ad calcem venditiones an. 196, 197, Ch. 1436, 1437. Unicus Gen. XL 1, Num. XXIX 24, XXXIII 1, fere unicus Gen. XXVI 32.

COD. 341

BIBLIA cum *Masora*, memb. hisp. fol. 2 col. sec. XV.

Incipit Lev. VI 8, et desinit Cant. VII 13. Initiales minores, libri poetici hemistice divisi, masora in animalium, florum, ornatuum formam ingeniose et eleganter disposita. Unicus in *Scholiis crit.* Ezech. XVI 43.

COD. 342

R. SAMUEL DAVID OTTOLENGO *Comp.* libri *Scenè lucoth abberìth*, seu *binarum tabularum foederis*, chart. rabb. 4.° sec. XVII.

Editum sub titulo *Mehìl scemuel*, seu *Pallium Samuelis*. De opere et auctore Wolfius T. I p. 1094 et III p. 1080. Casalensis erat, sed Venetus rabbinus, in praef. autem nostri codicis ait se puerorum institutorem esse in academia cel. R. Biniamini Coèn, doctoris Alexandrini, de cujus scriptis Wolfius T. III p. 153. Subscribit porro *minimus Samuel David Ottolengo*, unde corrigendus idem Wolfius, qui in utroque loco scribit ben David, filius Davidis, quamvis in priore in nomine hebraice expresso voc. בן recte omiserit. Videtur codex autographus, nam non modo deest libri titulus deinde ei impositus, sed et ad R. Ismaelem Ottolengo, auctoris nepotem pertinebat, ut bis sub init. adnotatum est.

COD. 343

AGIOGRAPHA, seu *Psalmi Job*, *Proverbia*, *V Meghillòth*, seu *Ruth*, *Cantic.*, *Threni*, *Eccle.*, *Esther* et *Daniel*, membr. rabb. in 16. sec. XIV.

Extant et crebrae notae masorethicae ex minori magnaque masora depromptae.

COD. 344

ANONYMI *Vicùach* seu *Disputatio de religione*, chart. rabb. 4.° recens.

Publice habita est mense aprili an. 1617, ut docet titulus quem integrum sistimus »: Disputatio habita hic Ferrariae mense aprili an. 377 inter me, et inter sapientem christianum, praedicatorem egregium ex S. J., nomine don Alphonsum Caracciolum, in eorum coenobio ex mandato em. card. Horatii Spinolae legati et ex consensu rev. inquisitoris Joh. Baptistae Scarellae. Fuit autem hoc publice in coetu mille circiter virorum, inter quos multi ex urbis primoribus, et argumentum quod disputandum suscepit sapiens ille, est quod judaei teneantur eorum religionem et Messiam suscipere ». Wolfio ignota. Ejus notitiam dedimus in *Biblioth. jud. antichr.* p. 124.

Cod. 345

Onkelosi *Targ. in Pent.* cum nonnullis *Aphtaròth* seu *Sectionibus proph. hebr.* ad marg., *Com.* Jarchii *in varia loca*, *scholiis* Kimchii *ex Libro radicum*, *Targum in V Meghilloth*, et Jarchii *Comm. in Canticum cant.*, membr. germ. et rabb. in 4.° sec. XIV vel in. XV.

Cod. 346

Biblia cum *utraque Masora*, membr. hisp. 4.° min. 2 col. et 2 voll. sec. XIV vel initio XV.

Pulcherrimus codex cum init. verbis cujusque libri aureis ornatuque eleganti varii coloris condecoratis. Sub finem Pent. ac Proph. binae etiam picturae occurrunt, quae totam paginam occupant, et varios ornatus, candelabrum, sacraque vasa repraesentant auro minioque expressa. Totidem tabulis dantur sub init. variae lectiones ben Ascer et ben Naphtalì, summae versuum librorum, indices psalmorum, sectionum legis, sectionum proph., litterae majusculae et minusculae, totidemque aliis sub finem Prophetarum loca affinia et parallela. Unicus est Mich. I 9, fere unicus Jer. II 31, II Paral. XXXV 3, rarissimaque lectione fretus II Paralip. XXV 26.